Vc
4451i

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0001-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0002-7

no. 380
Ŀ.34/35.

V c
4451

# ACTA

RACTATUUM I
NARIUM CIRCA
GOTIUM

# ACIS GENERALIS

ter S.S. Cæſ. Majeſt. & Con-
ederatos ex una, ac Regem & Re-
gna Galliæ & Sveciæ, corun-
demq; confœderatos, ex
altera Parte.

# SANCIENDÆ

Impreſſa

IRENOPOLI

NNO M. DC. XXXXIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0003-3

UNIVERSITÄTS
HALLE
(SAALE)

*Ni qvi PAX ipſe eſt largitur*
*tempora PACIS*
*Fruſta terit tempus PACEM*
*pro tempore TRACTANS*

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0004-8

# Exemplum Literarum

## Ad Serenissimum Daniæ Et Norvegiæ

# REGEM

## A Gallico Per Germaniam Legato Scriptarum

## CIRCA

# TRACTATUS PACIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0005-4

SEreniſſime ac potentiſſime Rex, cum aſſiduam Majeſtatis Veſtræ pro publica ſalute contentionem & continuatos hacterius labores exceperit ſilentium, ex quo Viennenſes ad ipſam literæ ſuper Tractatu præliminarium pervenerunt, ſatis ex iſta intermiſſione liquere potuit Auſtriacos M. V. non approbaſſe ſuas tricas, qui prolixo ſcripto in omnes ſe partes verſant ut Pactionis illius Veſtræque adeo Majeſtatis autoritatem detrectent. At vero Chriſtianiſſimus Rex, ne & ipſe ſilendo aut æquiſſimæ cauſæ defuiſſe, aut quòd adverſa pars publicæ tranquillitati intervenerit, non ægrè admodum tuliſſe videretur, per me animi dolorem ſui

&

& conſtans pacis licet adhuc fugientis ſtudium M. V. teſtatum voluit. Id ſanè non modo Pientiſſimum Regem ſed omnes bonos Chriſtiani Orbis Principes malè habet, quòd tot votis expetitum, tot conſiliis & tractationibus præparatum de pace colloquium (cùm Galliæ Sueciæq; placitum Regiæ Ratihabitiones docuerint) ſolâ Domus Auſtriacæ declinatione eludatur. Nos quidem, Sereniſſime Domine, miris modis antehac deluſi, Regnorum fœderatorum Legati, ſenſimus hoſtium artes, diximusq; palàm (ubi illi ad concordiam propendere viſi ſunt) aliud nimirum agi, aliud ſimulari. Licebit mihi appellare memoriam M. V. atque ut puto pudentius quàm qui ejusdem judicium rejiciunt. Novit illa quantis flexibus negotium hoc impeditiſſimum fecerint, in id unum ſedulò intenti ut fœderatos diducerent. Procancellarium Imperii Curtzium olim huc miſerunt qui nos concluſioni propiores

ùm animadverteret, ſtatim diſceſſit, neq; cur id faceret, ullam rationem reddidit. Curtzio Lutzovium, Lutzovio Auersbergium ſubſtituerunt. Sed mutatis perſonis eadem ſemper fabula: Proviſum duntaxat volentes, ne per varias manus erranti negotio novamq; ſubinde formam induenti certus aliquis modus finisve imponi poſſit. Neq; in hac ſuorum ſubrogatione quievere: Quinetiam (ut pergerent turbare) ipſis utiq; quos ſemel probaverant diſceptandæ cauſæ arbitris non ſteterunt, & novos nunc e Domo Brunſuicenſi, nunc e Lauenburgica Mediatores, indecorâ V. M. præteritione, non ſemel adſciverunt. Sanè excuſari verecundia eorum poſſet quibus forſitan religio fuit Regium nomen tot obtendere ludibriis, niſi & ipſo demum in hac poſtrema tractatione parum honeſtè uſi eſſent, dum cujus autoritate, ſententia, ſapientia perfectum fuerat, ut jam pateret omnibus ad concordiam via, id apud ipſam

pſam M. V. & improbant, & improbandi cauſas non adferunt. Quàm decenter utrumq;, ipſi viderint: Ego rem ut ſe habet recenſebo ordine. Annus eſt ex quo Veſtram apud Majeſtatem cùm per literas tum per legatos non modò animum pacis cupidiſſimum præ ſe tulerunt, verum etiam quotidie ab ea flagitabant, ut initium Conventus quantum fieri poſſet ociſſime ipſa conſtitueret; paſſim per Germaniam concitantes ſiniſtram de Regnis opinionem, & multa de ceſſatione Gallorum Suecorumq; conqueſti. Quis adeo impatientibus votis non crederet? Igitur M. V. utriusq; partis Miniſtros urgere, ſuâ nos adhortatione & autoritate impellere, in eum deniq; locum rem deducere, ut ſpes futuri Congreſſus magna tum demum affulſerit. Sed eam indies labefactabant Auſtriaci; ſalvos conductus quos exhiberent, ex multis ſaltem aliquos habebant, nec ſine vitio: Regnorum verò nullus neq; in formula

quicquam deſiderabatur, nam & petitum ab adverſa parte titulum Chriſtianiſſimus Rex ſtudio pacis addi ſalvis conductibus juſſerat, quos M. Veſtræ Miniſtris legendos exſcribendosq; permiſi. Unde manifeſtò conſtitit non retrogredi Gallos neq; diverticula quærere, quin potius quacumq; poſſunt compendioſiori viâ properare ad pacem. Deerat quoq; a Rege Hiſpaniæ Legatus aut ſaltem procuratorium Mandatum: Imò pro illorum moroſitate ſatis mihi facturos profitebar, ſi vel autore Cardinali Infante Lutzovius negotium cum Hiſpanis commune ſuſciperet. Sed nihil horum; perdidimus operam, ego Hamburgi, Madriti verò & Bruxellis oratores Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ, quibus ſpes expediendi illius mandati injecta eſt centies. Idem affirmarunt Michaelis Salamancæ literæ ad ejusdem Reipublicæ in Aula Chriſtianisſima legatum non ita pridem datæ.

Quid autem mirum ſi tam lubricos tamq; elabendi certos conſtringere non potuimus? nonne ipſa M. V. exeunte Novembri Viennam ſcripſit ſe ſperare futurum ne plenipotentia Hiſpanica contumaciùs protraheretur? At nec dum adeſt, Sereniſſime Rex, & cum his moribus videri ambiunt pacis amantiſſimi, quæ quomodo cohæreant, nemo non ſentit. Defectum tantum cæterosq; non paucos Lutzovius expleri poſſe ratus, propoſuit ſponſionem M. V.; mihiq; (fatendum eſt enim) propter rei inſolentiam nonnihil nutanti fecit convitia, ubiq; dictitans rationem iniri mecum nullam poſſe, quando tam commodâ non uterer. Scilicet ille, ſi Deo placet, impiger, & illius Principales de concludendo negotio valde ſolliciti, qui ſub exitum diuturnæ tractationis, toties quid requireretur, admoniti, egebant adhuc fidejuſſore; Ego lentus, & Galli publicæ tranquillitatis oſores, quibus omnia erant in numerato.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0011-7

Nihilominus ne poſſent adverſarii vel minimam ſuis tergiverſationibus ſpeciem juris inducere, accepi conditionem, paratus de præliminaribus paciſci, modò M. V. ( quod pollicebantur ) præſtaret eventum. Inexpectatus, ut apparuit, conſenſus & liberale reſponſum nulli omnino uſui fuit: qui rem confectam, paulò ante, & jam jam ſecuturos Congreſſus magno promiſerant hiatu, elingues facti ſunt, & deferbuit ille ad pacem tantopere ſimulatus ardor. Sed nolim propterea grandem iis dicam ſcribere, niſi quatenus obliquando rurſum, & perplexa ut ſolent, faciendo omnia, ſponſorem Regem paulo confidentius liti obtulerant: ſiquidem id in ſe recipere M. V. quo pollet magnarum rerum uſu, inconſultum duxit, non ſibi ſatis conſtare profeſſa de mente conſiliisque contrariæ partis. Tum illi [ ut ſuis ſe artibus involverent ] invidiam in omnes promiſcuè derivare, nemini parcere, & quo ſanctam

ctam

ctam pacis impatientiam melius venditarent, in ipſis quoq; Mediatoribus diligentiam requirere. Magnum quid loqvor, at verum tamen: certe hic, Rex Sereniſſime, crebrius nihil jactabatur ab eorum ſequacibus, quam proceſſurum expedite negotium ſi ab alio interprete vel etiam nullo adminiſtraretur. Nempe extremum hoc deerat oſtentationis genus, ut tale quidpiam dicere auderent. Nos interim Sociorum Regnorum Miniſtri, ipſis jam haud diffitentibus adverſariis, extra omnem culpæ affinitatem poſiti, ſi non ſpe optatæ pacis, at promoti per nos quacumque licuit optimi operis, & noſtrâ & omnium conſcientiâ fruebamur. Ibi diu res hæſit, donec Lutzovius acceptis tandem ab Aula Vienneſi mandatis, ut ipſe prædicabat, ampliſſimis, novæ tractationi locum invenit. In eam nos ſtatim ductu M. V. ſumus ingreſſi, & pro innatâ ſperantibus credulitate, dum varia hinc inde agitantur, men-
 ſem

ſem nobis unum fruſtra exiiſſe vix ſenſimus. Cùm verò propiùs conferre pedem cœpiſſemus jamq; in eo eſſemus ut definiretur aliquid certi, Lutzovius omnes ſibi vias cunctandi occluſas cernens, inſalutatis nobis de repente hinc ſeſe proripuit, dignus Curtio hac in parte ſucceſſor, deſideratusque eſt totas ſex hebdomadas. Interea de pacificatione vox nulla, quàm quæ Goslariæ ut quondam Pragæ ſeorſim cudebatur, circumveniendis fœderatis belloq; redintegrando accommoda. Nec defuere qui ſeceſſionem cum tractatione connecterent, eandemq; eſſe rationem utriusq; affirmarent, ne ſi generalis pax imminere videretur, in eâ videlicet mallent Celſiſſimi Duces Brunſuico-Lunæburgenſes, utpote dignius tutiusq; res ſuas agi. Ut ut ſit, aberat quocum tractaremus. Vix reverſus cœpit in nos ſuo more invehi non ſecus ac ſi ipſe hîc permanſiſſet, nos evaſiſſemus.

Sed

Sed ubi tertiò reſtituta eſt res, tertiò ille vel caruit vel carere ſe finxit petitis dudum literis Salvi conductus, famoſâq; illâ Plenipotentiâ Hiſpaniæ. Moram idcirco deprecatus Viennam ſe ſcripturum recepit. Quid faceremus? expectavimus, crebro jam uſu duratis ad hujuſmodi patientiam animis. Longo exinde intervallo protulit ſui Domini mandata, quæ in autographo M. V. penes ſe aſſervari provide juſſit, & hæc illum ſiſtendi ſe nobis pro Hiſpano quoq; capacem faciebant. Exhibuit & ſalvos conductus fere omnes (nam juvat aliqua ſemper ex parte retinere arbitrium rei.)

Tum autem V. M. viſum eſt Regiam expromiſſionem accommodare negotio, & de ratihabitione Tractatus qui circa præparatoria pacis univerſalis cum Legato Lutzovio iniretur, cavere. Poteram equidem jure optimo ſuſpenſam habere tantiſper conclusionem, dum aut Regis Catholici aut certè Fratris conſenſus

 tamdiu

tamdiu promiſſus ederetur: poteram graves ſuſpicionis cauſas opponere, quod nimirum anni unius ſpacio tam expeditum fuerat Auſtriacis [modo pax cordi eſſet] ipſa inſtrumenta Salvorum conductuum & Plenipotentiæ Hiſpanicæ, quàm eorum pollicitationem huc tranſmittere. Idq; eo feciſſem juſtius, quòd ſciebam tunc temporis eodem artificio fruſtra haberi Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis Legatum, qui, poſt annum & quod excurrit variis modis locisq; circumductus, ne multi laboris fructum pro oppreſſis M. V. Nepotibus ullum ferret, neve ad ſuos rediret aliis forte conſiliis rem acturos, ſuſceperant Viennæ partes Hiſpanicas; ac ſi præſenti ibi jampridem Hiſpanico Oratori poteſtas tractandi nulla nec eſſet, nec eſſe aliquando poſſet: ac ſi ille, non quà Legatus tantum, ſed quà Hiſpanus Regis ſui voluntatem minus exploratam haberet quam Germani, quibusq; ab eodem Rege nec negotium in hac cauſa datum

eſt, nec judicium. Quid? quod dicere veritus non erat, ſe habere quidem hujus generis plenipotentiam ſuis permixtam chartis, ſed quò pertineret, non ſatis meminiſſe. Adeo ſibi placent Auſtriaci, dum ejusmodi ambages conſuunt, quibus totum Orbem ludificant. Hæc me exempla, Sereniſſime Domine, totq; anteriores cauſæ, dubiam eſſe Imperialium fidem, præſertim vero in rebus Hiſpanicis, & minime ſequendam monebant. Acceſſione tamen V. M. firmatus oſtendere volui quàm liberaliter quàmq; libenter in tam illuſtri Expromiſſore conquieſceremus. Quod itaq; felix fauſtumq; foret, veſtris auſpicijs rem abſolvimus: habendis Concilijs ſelecta ſunt loca, & inchoandis dicta eſt dies, cautum deniq; qui Salvi conductus quâ-ve formâ hinc inde prius commutandi eſſent. Quodnam, quæſo, in iſtis omnibus abominabile illud eſt, quod tantopere averſantur Auſtriaci? aut quid ſuccenſere Conventioni tam in-
nocenti

nocenti queunt? Ecce illam tamen irritam faciunt, quodq; omnes Regio M. V. conſilio, M. V. Divino geſtum ferebat, id datis ad eandem confidentiſſime literis ſubvertere & tantum non exprobrare haud dubitant. At Legato Gallico defuit Plenipotentia, nam ita ſcribunt: & ipſemet faſſus eſt ſe absq; mandato conveniſſe. Næ illos potius defecit conſilium qui ad has nugas confugiunt, cùm ego & eorum & M. V. Miniſtris ſæpius ediderim factam mihi a Chriſtianisſimo Rege poteſtatem de Præliminaribus deq; ipſa pace tranſigendi. Quemadmodum Regia ipſius Ratificatio, quæ poſtea ſecuta eſt, id abundè demonſtrat & locum dubitationi nullum relinquit. At faſſus ſum, me absq; mandato conveniſſe; imò verò planè diffiteor. Innuere volunt datas à me V. ad M. literas, quibus peracta omnia cùm ſignificarem, inſerui forte, me præter uſum rerum gerendarum ac præter ipſa mandata dixiſſe di-

em

em Congreſſui ante acceptos Salvos conductus. Nec igitur pepigi absq; mandato, & circa unam duntaxat Tractatus particulam ſcripſi, extra Tractatum, Regi Medatori, eoq; tempore quo omnis jam meritò ceſſabat tractatio, me illius reverentiâ fines mandati nonnihil tranſiliſſe, ne tam ſancto operi ullum per me accidert impedimentum.

Quòd ſi ex tali epiſtola non ex ſolenni Tractatu pactisq; conventis jus petendum eſt, cur tacent quod ibidem ſubjunxi atq; etiam conceptis verbis ſpopondi, Regem Chriſtianiſſimum impleturum abundè [ ut & fecit ] quicquid ſuarum eſſe partium ex præfata Conventione intelligeret. Rem miram, iſti pacifici vitio mihi vertunt quòd promoverim pacem, & poteſtatis defectum non cauſatus uberem illis materiam eripuerim cùm deteſtandi noſtras moras jactandiq; multa magnificè de ſtudio ſuo, tum citra invidiam, quòd præcipuè optaſſent, a pacis
conſiliis

conſiliis diſcedendi. Sed ne verboſæ eorum epiſtolæ porrò reſponſurus, eandem ipſe prolixitatem cum V. M. tædio uſurpare cogar, attexui ad ſingula illius capita, quod adſtruendæ & tutandæ veritati neceſſarium fuit, atq; ita recognitam hiſce annecto. Si V. M. quid vacui temporis comites Regum curæ conceſſerint, non pigebit eam ut arbitror in rei hujus cauſas & momenta penitiùs inquirere, &, ſi non noſtris, at publicæ quietis hoſtibus indignari. Nec ipſos haud dubiè Electores Principesq; Imperii tantus Auſtriacorum amor, aut tantum tenet avitæ libertatis faſtidium [quam deinceps Germania ſuorum exulum numero cenſere poteſt) ut non etiam aperire oculos, non diſpicere velint, per utrum ſtet quo minus diſcedatur ab armis. Repetant ſaltem memoria quàm diffidenter ſecum ſit actum, quàmque perplexe communicatum fuerit hoc negotium pacis. Nuper enim Ratisbonæ, dum anxii poſtulant edoceri

edoceri quo res eſſet loco, quidve Hamburgi cum Legatis Gallico Suecicoq; tractaſſet ProCancellarius Curtzius, plena illis & liquida facti enarratio ſæpe promiſſa eſt, nunquam tamen ſecuta. Ita ut ne Imperii quidem Ordinibus ad eum præcipue finem convocatis, & de ineunda pace deliberantibus, ſtatus cauſæ unquam vere innotuerit. Quæ loquor, plana ſunt. Interfuerunt iiſdem Comitiis & a M. V. delegati, neq; quiſquam ibi fuit qui non moleſte ferret iis literis quas ad ſocios Reges ſcripſerunt non niſi generalia quædam & indefinita contineri, quæ maturando Tractatui minus idonea videbantur. Tali apud amicos quoq; diſſimulatione Auſtriacis uti viſum eſt, ne ſi totum negotium permitterent judicio eorum, quos ad concordiam proclives eſſe conſtabat, ipſi fortaſſis impellerentur quò pervenire nolebant. Nempe fuit honeſtius, largitionibus multis, & iniquiſſimis legibus, pa-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0021-2

gorumque ad ipſius Auſtriæ fines ducentorum deditione ac ſervitute pacem Ottomanicam redimere, quàm Germanicæ operam dare. Niſi fortaſſe leve eſt, denegaſſe amico & venerando nomini M. V. id, quod ab ipſis eodem omnino tempore Oſman Aga, Mehemet Effendi, Trinar Tefftedar, & Muſtapha Alai ultro delatum acceperunt. Nam qui annus & menſis nobilitari debuit exordio fœderis totâ Chriſtianitate ſanciendi, is noviſſime inito inter Auſtriacos Turcasq; fœderi inſcriptus eſt. Ad cuncta hæc quaſi per ſe non ſatis gravia & omnibus bonis exoſa ut aliquis veluti cumulus accederet, placuit adverſariis denuo experiri, qua fraude commodiſſima poſſent, Suecos a fœderis ſocietate divellere, ibi demum ſui copiam facturi, ubi ſemotis arbitris clam & precario pacem ita cauponentur ut pax non ſit. Comes Auersbergius cum apud Dn. Salvium per emiſſarios aliquot ejus rei periculum fruſtra feciſſet,

multis ſubinde precibus ab ipſo M. V. non hos in uſus Deputato, Dn. Langermanno, ægre impetravit, ut per eum quoque certior fieret idem Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ Legatus, ſe brevi inſtructum fore mandatis & Plenipotentiâ, unde Regnum illud, modo res tantum ſuas agat, plus quam abunde ſibi ſatisfactum ſentiret. Nil moratur tam ſtrenuos corruptores: & tunc, & ſæpe antea repulſam paſſi, Lutzovium audenter ſummittunt, qui ſpecie honeſtatis tanquam valedicturus Suecico Legato & acceptum illi laturus commeatum quem pro itineris ſui ſecuritate a Campiductore Torſtenſonio petierat, prima quidem hæc officii verba præfatus, cœpit de Tractatu præliminarium & Declaratoriis ſui Domini literis dicere, quas Ratificationis loco haberi volebat. Sed graviſſimas rationes opponentem Suecicum Legatum & multa adhuc parantem interpellavit alter (quippe qui de his ſermonem non inſti-

tuerat

tuerat, niſi tranſitum ſibi facturus ad alia) ſumpſitq; inde occaſionem reſpondendi: etiamſi ratihabitus fuiſſet Tractatus, non tamen inveniri exitum potuiſſe tam arduo & multiformi negotio pacis univerſalis. Conſultius futurum, multoq; magis e re Suecorum, ſi ſoli tranſigant. Et hoc quidem argumentum ab utili hunc locum copioſe tractavit, oſtenditq; illis omnia Regna mundi & gloriam eorum, ſi fidei ſervantes hoc eſt ſi Sueci eſſe deſierint. Ni faciant, fore ut bellis implicentur æternis, quia nec Gallia magno tractandi deſiderio flagret (jam horruit dicere nullo) nec cui pacis generalitati conſentire videtur, illius aſſequendæ ratio reperiri ulla unquam poſſit. Plura in eandem ſententiam importunus orator congerebat, fatiſcente jamdudum auditore, qui tentatos toties ad faſtidium dolos, tandem quoq; riſu proſecutus eſt; velut merces obſoletas ſolemus quæ ſæpius venales, ubi vitium tranſparuit, quodcumq;

eumq; etiam pretium ſtatuatur nemini tamen obtrudi poſſunt. Ex his Auſtriacorum quantumlibet irritis conatibus patet evidentisſime, contra quod profesſi ſunt, nihil eos minus in animo habere quam Monaſterienſem & Oſnabrugenſem Congreſſum, & ſuarum utiq; artium fiducia Tractatus ſingulares, bello acrius perſequendo aptisſimos uno verbo Pragenſes etiamnum moliri, conjunctos præfracte repudiare, quantacumq; cum ſuæ exiſtimationis jactura & mundi laborantis calamitate. Nemini contrà non perſpectum eſt quæ ad accelerandos Conventus conferre potuerint, eorum nihil a Chriſtianisſimo Rege prætermiſſum, ipſum ſtudio pacis ea tribuiſſe, quibus aliàs nullo reſpectu ceſſurus fuit, deniq; Pactionem præliminarium non cunctanter idq; rebus ſuis ad votum fluentibus confirmaſſe. Et profecto nihil ſe per hoc bellum malle quam ut publica repræſentetur tranquillitas, vel

hoc

hoc ipſo luculenter docuit, quod ab inſtauratis cum Regno Sueciæ productisq; ad belli exitum fœderibus, ſtatim aſſenſu firmavit ſuo, quæcumq; communi utrinque delegatorum ſententia Regioq; inprimis V. M. interventu, in negotio pacis acta. hîc & conſtituta fuerunt. Cæterùm paris animi indicium in gente Auſtriaca cùm ne ullum quidem hactenus prodierit, quin & noviſſimum hunc Tractatum violarit ſine religione, rem ad otium deduci impatiens, quaſi in eo ingens aliquod commodum ſuum verſetur ſi fracti ac debilitati Imperii Proceres magisq; fiant opportuni injuriæ, ego quid hic ultra incaſſùm morer non video. Itaque, Sereniſſime Rex, poſtquam ſociorum Regum ac Principum uſibus mandante Rege Chriſtianiſſimo hinc proſpexi, curaviq; pro mea mediocritate ne quid detrimenti cauſa communis accipiat dum adverſa pars libidine bellandi victa armis inſiſtet; illinc pacis tractationem quàm

maximè

maximè aptam explicatamq; confeci, diſcedo tandem e Germania. Facio id equidem cum ſummo doloris ſenſu quòd pro quiete nobiliſſimæ, quàm latè patet, Provinciæ, Chriſtianitatisq; totius ſollicitum Regem meum in tam pio laudabiliq; inſtituto deſeruerint Auſtriaci. Nec profectò minus cupidè expeto, ut eximiis ipſius pro publica tranquillitate ſtudiis demum conſentientes, cauſam ei præbeant brevi me ad Tractatus Pacis, [ cui meam negotio operam dicavit ] in haſce oras iterum ablegandi. Supplico Majeſtati Veſtræ, per eam quoq; abire mihi ut liceat, & repetitis obſequiis Regium retinere favorem, etiam cùm ab ipſius Regnis longius abero atq; adeo ab illis quæ hîc infrequentes non fuerunt rerum cum ea gerendarum occaſionibus.

Quòd ſi meam toto hoc quinquennio vel ſuperioribus temporius operam atque obſervantiam M. V. ulla

 unquam

unquam in re probavi, idem utique promereri haud ſegniùs enitar ubicumque ſuorum honore mandatorum porrò dignabitur

SERENISS. MAJEST. VESTRÆ

*Humilimum & obſequentiſſimum ſervitorem*

*CLAUDIUM DE MESMES.*

*Hamburgi die*
*30. Maji 1642.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0028-1

# LITERÆ

Sive

# Declaratio

# Regis Hungariæ

ad

# Regem Daniæ

ſuper Tractatu

Præliminarium Hamburgi concluſo, prout latinè conceptæ prodierunt e Cancellaria Viennenſi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0029-0

1.

FERDINANDUS III. Sereniſſimo Daniæ Regi &c.

*MInistri Regis Hungariæ iſtarum literarum autores, male conſuluerunt ipſius exiſtimationi, dum ſuaſerunt ut autoritatem Tractatus a Legato ſuo ſicuti juſſus fuerat concluſi publicè deſugeret. Idq; in negotio pacis, cujus mirificum desiderium magno ſtrepitu antea oſtentaverant. Nunc illis totum hoc artificium periit, & ſeſe ipſimet prodiderunt.*

*A Multis jam annis Imperiales & Hiſpani id operam dederunt ut viderentur quietem orbi Christiano procurare. Quod ut perſuaderetur, quæſitiſſimis coloribus opus fuit, quorum inveniendorum ſingulares artifices perhibentur. Eos objecerunt oculis*

*præcipue*

præcipue Germanorum, Danorum, Italorum, Anglorumq́, ſeductis etiam nonnullis, qui rem non noverant, aut in hujusmodi negotiis parum fuerant verſati.

PRæter cætera quibus Auſtriaci imaginarium hoc pacificandi propoſitum celebrius reddi & ſimulationi ſuæ fidem conciliari poſſe crediderunt, ad id potiſſimum nuperis Comitiis Ratisbonenſibus abuſi ſunt. Ibi Rege Hungariæ qui coram aderat impulſore, nihil omiſerunt eorum quibus tota belli invidia in ſocios Reges derivari poſſet. Effecerunt ut publico Concilii nomine ad Regem Chriſtianiſſimum, & Sereniſſimam Sueciæ Reginam ſcriberetur, omnia ad pacem eſſe expedita, dummodo placeret ea de re Legatos ſuos Hamburgi commorantes idoneis mandatis inſtruere, quaſi nihil ampilius tantum negotium moraretur. Etiam ſecundas poſtea literas in Sueciam miſerunt dum publicus Ordinum Regni Conventus agebatur, in celebriori luce ſuum ſcilicet pacis ſtudium honeſtiſſimamq́ voluntatem

luntatem expoſituri. Impetrarunt eodem tempore a Sereniſſimo Rege Daniæ ut eadem de cauſa Legatum Extraordinarium ad Comitia mitteret, & ab Electore Brandeburgico ſuis ut officiis Legationem proſequeretur. Sperabant perſuaderi hoc pacto toti Germaniæ poſſe, non ſine ardua molitione ſummoq; labore ad tractationem de pace Suecos pertrahi. Hunc animum hoc pro pace conſilium quod venditabant impenſiùs probaturi, inſeri curarunt poſterioribus illis literis Legatum Lutzovium ſufficientiſſimè jam eſſe inſtructum mandatis ac poteſtate de præliminaribus pacis generalis cum Legatis Gallico Suecicoq; qui Hamburgi eſſent tranſigendi.

EXinde Daniæ Rex ad Legatum Galliæ ſcribit, eumq; ad inchoandam tractationem invitat internuncio Conſiliario ſuo Dn. Langermanno, quem literis ut vocant Credentiæ quæ mandatis fidem arrogent, inſtruit.

PErgit ulteriùs Rex Daniæ, innixusq; frequentibus literis totiesq; aſſeveranti Regi Hungariæ confiſus, per epiſtolam Legato Gallico promittit Imperatorem Regemq; Hiſpaniæ rata habituros omnia, de quibus cum Legato Lutzovio circa præparatoria pacis conveniſſet.

HIs inſiſtentes fundamentis Gallicus Suecicusq; Legati, interveniente Langermanno, qui plus quàm trium menſium operam huic rei impendit, Tractatum illum de quo nunc agitur perfecerunt ſignaruntq; atq; unà cum ipſis Lutzovius plenipotentiá Regis Hungariæ munitus, autoritate Imperialis Concilii approbatus, Regisq; Mediatoris expromiſſione ſublevatus. Et tamen ecce acta geſtaq; ejus repudiantur & rejiciuntur.

SI adverſarii tam parum integrè verſantur in re non adeo magni momenti, qualia

*ſunt præparatoria tractationis de pace, quid tandem de religione fideq; eorum ſperari poteſt ubi pax ipſa, resq; totius Chriſtiani Orbis maximæ, agentur?*

*PEriculoſum foret & indignum, in ipſo limine tractationis hujus, permittere Auſtriacis eam autoritatem, quâ quæcunq; lubet aut approbant aut inficiantur.*

*DEniq; illi publicæ tranquillitatis tam cupidi, quì nos toties ceſſationis inſimulaverant, ubi nos conferre gradum vident, quantùm poſſunt reſiliunt; ut jam obſcurum amplius eſſe nequeat inopinatò illis hanc noſtram liberalitatem accidiſſe, non enim ſperaverant futurum ut acciperemus quæ offerebantur.*

*SEd neceſſe eſt ipſas expendere literas quæ ita habent:*

UTrasq; Dilectionis Veſtræ 19. Novemb. & 24. Decembris anni proxime elapſi datas literas recte accepimus, atque ex iisdem pariter

atq; ex appoſitis ſcripturis liquidius intelleximus, quantum ac quousq; in compoſitione Præliminarium ad inſtantem Congreſſum univerſalem adhibita apud Gallicos ſimul ac Suecicos Hamburgi commorantes Miniſtros Dilectionis Veſtræ operatio profecerit, inprimis vero, quemadmodum apud Nos Titulum (1) Tutricis ac Regentis pro Duciſſa Sabaudiæ ſe obtenturam, Legato Gallico quaſi in anteceſſum expromittere ſit coacta ; Nos proinde amanter atque enixe requirendo, (2) ne datam in hac expromiſſione fidem ſuam deſtitui ſimulq; præſentis aperturæ occaſionem denuò elabi negotiumq;

1.

*Miniſtri Regis Hungariæ ſuppreſſerunt hîc aliud poſtulatum, quod literis Regis Daniæ continetur, de Plenipotentia nempe Hiſpaniæ Regis, deq; ratificatione Tractatus Hamburgenſis.*

2.

*Rex Daniæ non minus Ratificationem Tractatus quàm Salvum Conductum pro Sa-*

*Sabaudia poſtulavit. Utrumq; enim in ſe receperat, & pro utroq; expromiſerat literis ad Legatum Gallicum ſcriptis, quarum exemplum ub ipſo Viennam miſſum eſt. Sed Imperiales omittunt illam partem de Ratificatione quãdoquidem eam præſtare nolunt. Primo itaq; intuitu largiri aliquid Regi videntur, ſed reipſa interpoſitionem ejus fidemq; ab ipſo datã fruſtrantur.*

3.

*OTioſè hæc repetuntur, poſtquam de ea controverſia jam transa-*

tiumq; hoc incaſſum ac nihilum recidere patiamur.

TAmetſi igitur neutiquam dubitemus quin noſter tum Hamburgi commorans Conſiliarius Imperialis Aulicus Conradus a Lutzaw, juxta præſcriptum, ac tenorem Cæſarei noſtri ad ipſum, XIX Decembris expediti mandati ad Dil. V pluribus retulerit, quibus & quam gravibus ducti (3) rationibus petitum Titulum Duciſſæ Sabaudiæ hactenus cen-

*tranſactum eſt. Quod ſi quis jura Sereniſſimæ Duciſſæ Sabaudiæ (cum & poſſeſſione ſua ſe tueri poſſit) fuſius a nobis explicari velit, rem actam ut agamus poſtulat, totumque negotium a primordiis repetere jubet. Huc videlicet tendunt Imperiales, ſicut ex ſequentibus apparebit.*

cenſuerimus denegandum & Dilectio Veſtra quoque intellexerit, hocce ad Tractatus principales non vero ad Præliminaria ſpectans negotium non eſſe idoneam neque ſufficientem cauſam, cur Franciæ Rex a Congreſſu illo ſeſe potuerit aut debuerit abſtinere : tum Dil. V. ſatis notum eſt, quot & quam diverſis adverſæ partis petitionibus jam ante [4] detulerimus, neque tamen illi ab omnibus deſideratus Congreſſus, poſt tot tantasque a ſummæ authoritatis Interpoſito-

4.

*ITa eſt, multa tandem conceſſit Rex Hungariæ, quia primùm omnia negaverat, etiam juſtiſſima, & ſine quibus confie-*

*vi hujusmodi tractationes nequeunt. Adeo quidem ut ab initio nullos Salvos Conductus Germaniæ principibus cum Gallia Sueciaq; fœdꝰ eſt impertiri voluerit. Verùm ſi adverſæ parti Rex Hungariæ deceſſit de tam multis, quî ſit ut nihil nunc tribuat autoritati Mediatoris, fideiq; pactionis ſolennis & conſummatæ?*

ribus factas ſincerationes, a parte adverſa ad optatum fuerit promotus effectum: Ut ut autem ſit, amicam atque enixam Dil. V. requiſitionem benevole accipimus, inprimis vero in facta expromiſſione, vel hoc conſideramus, quòd Dil. V. petitum Salvum Conductum eum in modum deſideret uti ambobus Sabaudiæ Principibus ratione Tutelæ a Nobis ipſis commiſſæ neutiquam fraudi, præjudiciove ſit.

AC proinde Nos erga Dil. V. ita declaramus, quod dictum Salvum Conductum pro Duciſſa Sabaudiæ, eo

plane modo, quo Dil. V. a Nobis poſtulavit, ſub die hodierna [ Tit. ] Comiti ab Auersberg transmittimus, Illiq; ſimul clementer præcipimus, ut eundem penes ſe (5.) retineat, neque ante extradat, donec [6.) omnia in Præliminaribus ſint transacta & compoſita, & univerſum negotium a ſola extraditione hujus Salvi Conductus pendeat, verumtamen excipimus & reſervamus nobis hic expreſſe quod quando tandem ad realem extraditionem fuerit perven-

tum,

5.

*QUod Rex Hungariæ Daniæ Regi altera manu largitur, id retractat altera. Concedimus inquit Salvum Conductũ, ſed ne a noſtro Legato tradatur, id vero cavemus.*

6.

*TEmpus quo tradi hunc Salvum Conductum Rex Hungariæ jubet indefinitum eſt, neq; definietur niſi quando id ipſi viſum fuerit. Quoniam enim poſt ſolennem Tractatum Præliminaria nondum determinata eſſe cenſet,*

*nun-*

tum, quod hujus Tituli in his duntaxat Salvis Conductibus facta conceſſio prædictis Sabaudiæ Principibus in juribus ipſorum realiq; posſeſſione concreditæ, per nos, ipſis & de [7] jure commiſſæ Tutelæ ne vel minimum quidem præjudicium creari, ſed ad almam ſaltem Pacem provehendam, liberandamque (8.) Dil. V. hac in parte datam Regiam fidem hac tantum vice conceſſum intelligi velimus.

7.

*Quàm hac Tutela de jure commiſſa ſit, ipſe Rex Hungariæ oſtēdit in ſimili cauſa ubi tamen contrariā in partem ſententiam dixit. Ante paucos enim annos Duciſſæ Megapolitanæ Viduæ tutelam filii ſui, & ditionū ejus adminiſtrationē adjudicavit, neglectis omnibus iis quibꝰ pupilli patruꝰ cauſam ſuā videbatur tueri. Nunc vero quoniā in cauſa Sabaudica agitur commodū Regis Hiſp. Juriſprudentia Viennenſis longè alia eſt, qualis eſſe eorū ſolet qui nigra in candida vertunt.*

8.

*Nullo modo fidem Regis Daniæ liberat, neq; enim aut ſuam aut Hiſpaniæ ratificationem mittit quas expromiſſio Regia complectitur. Et Salvo Conductui pro Sabaudia talis eſt annexa conditio, quæ exiſtere, niſi quando ipſe volet, non poteſt.*

AD reliqua omnia quæ a Conſiliario noſtro Imperiali Aulico mediante Dil. V. Conſiliario Dn. Langermanno cum Gallicis Suecisq; Miniſtris acta ſunt, & partim ex noſtra, partim etiam aliorum Intereſſatorum ratificatione atq; ulteriori reſolutione (9.) pendent, exinde ſingulari cum grati animi affectu agnoſcimus indefeſſum & conſtans Dilect. Veſtræ ſtudium

9

*Videntur Viennenſes ſatis negligenter legiſſe pactionis Hamburgenſis articulos, vel parùm ſincerè recitare. Neq; enim illa pendet ex Ratihabitione Regis Hungariæ*

*aut*

um

*aut ſcujuſpiam, ſed eum ad ratihabendum obligat. Hæc enim vis eſt atq; efficatia illius plenipotentiæ quam Legato ſuo attribuit.*

um quod hactenus promovendo Congreſſui illi ſedulo atque indeſinenter impendit. Id Dil. V. merito ſempiternam nominis ſui gloriam conciliabit.

10.

*PLuſquam triennium eſt, quod Legatus Gallicus Procancellario Curtio idem de pace negotium Hãburgi tractanti (cum id expoſceret) Miniſtriſque Regis Daniæ mandatum quod habebat procuratorium edidit, quo ipſi facta ſt poteſtas tranſigendi*

*&*

ET licet neq; dum (quod Nobis quidem liqueat) ulla iſtiusmodi (10.) legitimatio ad tractandum cũ Cæſareis noſtris

& de pacis præparatoriis & de pace ipſa. Exhibuit inſuper Salvos Conductus quos Rex Chriſtianiſſimus Plenipotentiariis Regis Hungariæ largiebatur ea forma quam ipſe definiverat.

II.

GAllicus Legatus Tractatum de præliminaribus pacis concluſit pure ac ſimpliciter Regisq; ſui ratificationem promiſit, eamq; accepit, & in promptu habet. Cum jam ſignaſſet Tractatum, ſcripſit fortè Regi Daniæ ſe reſpectu ipſius fiduciaq; Regiæ expromiſſionis in aliquid

ſtris Miniſtris a Gallico Legato fuerit exhibita, atq; ipſemetfaſſus ſit, id quod hac vice hac in re actum eſt, absque (11.) mandato actum eſſe, nihilominus tam pro noſtra quã Ser. Hiſpaniarum Regis parte, inprimis in duar umaddictos Tractatus urbi-

*quid conſenſiſſe etiam præter mandata: nempe quòd de die conveniſſet inchoandi Conventus antequam Salvi Conductus omnes, quemadmodum mos & fas jubebant, eſſent traditi.*

urbium Monaſterii nimirum & Osnabrugæ (12.) electione conquieſcimus.

*Quin eadem omnino epiſtolâ continetur expreſſe, Regem Chriſtianiſſimum quæ ſuarum partium in Tractatu iſto futura eſſent, impleturum. Duæ illæ objectiones adeo frivolæ abunde demonſtrant Miniſtros Regis Hungariæ viam qua elabantur circumſpicere, curâ autem procurandæ pacis omnino non tangi.*

*12.*

*HIc conſenſus de loco, civitatibus nempe Monaſterio & Oſnabruga, ambitioſus eſt. Cujusmodi ſunt omnia pleraq; quæ ſequuntur quæſitis ſtudio verbis & affectatâ prolixitate plena. Scilicet hoc artificio aures*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0044-0

*aures atq; animos populi detinendos crediderunt, ut cùm tantum apparatum vident, credant res maximas concedi. Sed ſi paululùm excutias, ſolidi nihil ineſt. Quantum enim ad urbes nominatas attinet, de iis jam tempore Comitiorum Ratisbonenſium Rex Hungariæ conſenſerat. Uti ex Receſſu Imperii, quem vocant, publice edito apparet. Sed ea res opportuna viſa eſt quæ hîc rurſus locum inveniret.*

NEc ſecius acceptamus & conſentimus, ( 13. ) ut ſtatim poſt traditos hinc inde Salvos Conductus præſidia moderna, quæ civitatis diſciplinæ non ſunt obnoxia, educantur, & quamdiu Tractatus in una alteraq; urbe duraverint,

13.

*COnſenſus iſte, mera ludificatio eſt. Sueci enim Oſnabrugæ militare præſidium habēt: Monaſterium verò ſe præſidio oppidanorum tuetur, nullus ibi Regis Hungariæ miles eſt. Cùm itaq; Pacis ſtudio id ultro largiti ſint Sueci, ut milites ſui*

*ſui præſidiarii tam ex urbe Oſnaburga, quàm ex arce deducantur inq; eo negotio ſolus Suecorum conſenſus vertatur, bellè profectò & feſtivè Imperiales ajunt ſe quoq; cõſentire. Quod eſt fumum vendere ſi hoc non eſt?* 14.

*QUidni velit quando nolle non poteſt? Neque enim Oſnabruga in ipſius eſt poteſtate.*

vexint, tamdiu earundem cuſtodia ac defenſio ipſiſmet Civibus atq; incolis concredatur.

VOlumus (14.) etiam ut civitas Oſnabrugenſis durantibus hiſce Tractatibus privilegiis ſuis gaudeat, in eorumq; fruitione manuteneatur ac conſervetur, nec Magiſtratus in præſenti tam Eccleſiarum quam Scholarum dictæ civitatis conſtitution[e] ulla ratione perturbetur.

DEmum etiam licet Salvi Conductus noſtri Cæſarei tam loco ad Tractatus aſſignato, quam etjam perſonis quibus ii ſunt conceſſi omnem ſufficientem præſtent ſecuritatem; ex ſuperabundanti (15) tamen Chariſſimi fratris noſtri Dil. & omnibus ſub ipſius ductu militantibus gratioſe ordinatum volumus, quemadmodum ſub dato hodierno ordinamus atq; inhibemus ne durantibus hiſce Tractatibus adverſus civitates Oſnabrugenſem & Petresburgenſem ab eo quo

15. *MEmorabile ſanè & inauditum beneficium eſt, mandare Archiduci & Piccolominio ne vi armata Oſnabrugam accedant, & obtorto collo ad carcerem rapiant qui de pace tractaturi eò convenerint. Sed cur eandem ſecuritatẽ Monaſterienſi Conventui non ſpondent? Hæc diverſitas aliquid monſtri alit, quemadmodum & conditio ſub qua illam ſecuritatem largiuntur. Nam ſi illa obtineri nequit niſi tũ de-*

*demum, cùm omnes legati Regum Principumq; quorum de negotio agetur, atq; adeo ipſorum Mediatorum congregati fuerint (ita enim verba ſonant) periculoſa omnino foret feſtinatio & acerbum fortaſſis diligentiæ præmium. Præterea Sueci hoſtiū ſuorum dubiæ fidei exponerentur qui innixi ambiguitate hujꝰ articuli, facilè inde prætextum invadendi loci illius occupandiq; arriperent. Dicat fortaſſe aliquis Monaſterium eſſe ditionis Electoris Colonienſis, itaque ab armis Regis*

*Hun-*

quo noſtri, tum Interpoſitorum, & aliorum Regum ac Principum Legati, Oſnabrugam intraverint, quicquam infeſtum aut hoſtile conſilio aut facto (quocumq; tandem nomine id vocari poſſit) ſuſcipere aut attentare auſint. Idem Dil. V. tam de Seren. Hiſpaniæ Regis Catholici armis (quoad hoſtes quoque ipſius id veniant, quæſitum) quam duorum Bavariæ & Saxoniæ Electorum concreditis Imperialibus copiis pro-

mitti-

*Hungariæ & ſociorum ſatis tutum eſſe. Quod ſita eſt, cur igitur poſtulant a fœderatis Regibus ut reciprocè ſeſe obligent tutam per ipſos fore Oſnabrugam? Cum enim illa ſit juris Suecici, pari omnino ratione vel ab ipſis vel ab ipſorum fœderatis expectare periculum non debet.*

*16.*

*SAtis hinc apparet quemadmodum & ex univerſo epiſtolæ contextu nihil aliud quærere Imperiales quàm ut totum negotium variis remoris ac difficultatibus implicent perplexumque reddant.*

mittimus & aſſeveramus, certo confiſi partem quoque adverſam viciſſim ſimiliter ſtipulaturam neq; Dil. V. hoc nomine idoneam (16.) ab ipſis fidem & ſufficientem ſecuritatem accipere recuſaturam, ſibiq; neceſſaria ad hoc mandata militaria ad manus ſuas tradenda curaturam, quemadmodum nos, noſtro, talem in eventum Dil. V. tranſmittenda tradendaque curare non detrectamus.

Et

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0049-1

*reddant. Idcirco proponunt Regi Daniæ novis ſecuritatibꝰ novis utrinq; Declarationibꝰ opꝰ eſſe, idq; & ad Regem Hiſpaniæ & ad ejus hoſtes extendunt, neq; tamen quos intelligi hoſtes velint, diſerte explicant. Atq; hæc omnia ut novæ tractationis materiam ſubminiſtrent, ſed illius longè difficilioris magisq; inextricabilis quàm nupera fuit, cui tamen totum quinquennium impenſum eſt.*

ET cum jam de omnibus quoad promovendam neceſſariam hinc inde correſpondentiam, reciprocam literarum tranſmisſionem, curſorum & nuntiorum expeditionem, & cætera hiſce annexa pertinent, jam in accordatis ex utraq; parte Salvis Conductibus optime proviſum ſit, in eo lubentes penitus conquieſcimus, certa freti ſpe, ut quemadmodum ex hac parte fiet ita etiam ex altera quicquid ita factum conventumq; eſt rite adimpleatur.

Quod

17.

*Hoc jam Hamburgēſi Tractatu cautum, præterea ex ipſa æquitate naturali communiq; jure ac conſuetudine petitum eſt, adeo ut hic conſenſus Regis Hungariæ pro luculento aliquo Indicio animi ad pacem propenſi accipi nequeat.*

18.

*HÆc quoq; conditio captioſa eſt. Monaſterii nullum habet militare præſidium Rex Hungariæ: quod ibi eſt, Magiſtratui urbis ſacramentum dixit, neq; inde deducetur. Itaq; hîc*

QUod ſi (17) vero præter omnem ſpem atq; expectionem Congreſſus & Tractatus iſti absque concluſa deſideratiſſima Pace diſſolvantur, Volumus nihilominus ut intra ſex proximas hebdomadas contra Oſnabrugam & Petersburgum nihil hoſtile attentetur, vel Suecica Corona impediatur quominus præſidium ſuum denuo illuc introducat, (18.) dummodo idem, reſpectu civitatis Monaſterienſis obſervetur.

*omnia diſparia. Sanè id captare videntur Imperiales ut abuti illis liceat indulgentia & facilitate Suecorum qui ut bo negotium pacis promoveant, ultro ſeſe offerunt ad præſidia ſua Oſnabruga & Petersburgo deducenda.*

AD diem quod attinet, quo cùm reciproca Salvorum Conductuum extraditio fieri, tum Congreſſus ille univerſalis initium ſuum re ipſa ſumere debeat, Nobis & Ser. Hiſpaniæ Reg Catholico etiamnum eo erit gratius (19.) quo maturius is conſtituetur & Congreſſus ill realem ſuum ſortietur effectum, & jam pridem noſtris ad hoc Deputatis Plenipo-

19. *Manifeſtiſſima hæc eſt tergiverſatio, Hactenus Rex Hungariæ Legato ſuo Lutzovio ipſiq; Regi Daniæ ſcripſerat, atq; adeo inſeri typis excuſo Receſſui nuperorum Comitiorum curaverat, quo maturius inchoari tractatio pacis*

*poſſit* nipo-

*Poſſit id eo ſibi futurum gratius. Hac fiduciâ Lutzovius unà cũ Legatis Regum Galliæ & Sueciæ diem XXV. Martii definivit.*

nipotentiariis, uti in procinctu ſint benigne injunximus, præſtolabundi, quod & Gal-

*Nunc vero Regis Hungariæ Miniſtri cùm expreſſè & diſertè approbare eam definitionem deberent, quemadmodum fecerunt ſupra in rebus generabilus & levioris planè momenti, ſatis habuerunt canere eandem cantilenam* quò maturiùs eò gratius. *Quid vetat quominus poſt decem & plures annos idem nobis occinant, & interim nihil fiat? Teſtari poſſunt omnes Legati qui ſunt Viennæ, annon Miniſtri Regis Hungariæ apertè primùm conqueſti ſint diem XXV. Martii nimis maturam eſſe, ſeque ſpatiis admodum iniquis includi. Sed re diu multùmq; deliberata, conſultius duxerunt profiteri nunquam ſatis in tam grato negotio feſtinari poſſe, ſedulò tamen caventes ne vel diei jam dictæ acquieſcerent vel aliam ſaltem præfinirent.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0053-0

20.

PEr Legatum Galliæ nulla mora eſt quominus tradantur Salvi Conductus de quibus in Pactione Hamburgenſi inter partes convenit; nam quos ille ſtipulăti Legato Lutzovio promiſit, omnes ex Gallia ad ipſum in debita forma transmiſſi ſunt. Sed Rex Hungariæ dum generaliter loquitur de ſalvis Conductibꝰ, protrahere haud dubie negotium cogitat poſtulationibus novis, quibus aſſentiri Regē Chriſtianiſſimum non poſſe ipſe nō ignorat. Huc pertinet quòd cū Salvus

Gallicus Hamburgi (20.) cōmorans Miniſter petitos ex noſtra parte Salvos Conductus in debita forma tandem ad manus Dil. V.ræ traditurus ſit, prout etiam præfato Legato noſtro Comiti Auersbergi idonea dedimus mandata quò Tractatibus

tibus hiſce inchoandis dies Salvis Conductibus [21.] inſeratur, adeoq; Cæſarei noſtri Salvi Conductus perfecti & abſoluti Dil. V. tradantur.

*Salvꝰ Cōductus quem Lutzovius pro ſui Domini fœderatis ſtipulatus eſt, is ſufficiat ſi bona fide pacem quærerent, nunc ſpecialē tamen pro Duce Carolo flagitant, cui etiam titulum nomenq;* DucisLotharingiæ *tribui poſtulant. Immò ſuper hoc Salvorum Conductuum negotio alias adhuc difficultates comminiſcuntur, ſi fidem abhibere fas eſt viris illuſtribus atq; adeo partium Auſtriacarum ſtudioſis, qui prolixe ea de re Viennâ ſcribunt. Quorum unus epiſtolam hoc claudit epiphonemate,* In ſumma, Tractatus Præliminarium pacis totus hîc diſplicet, utinam ne ipſa pax.

*21.*

*MAndatum de Die ſalvis Conductibus inſerendo, quemadmodum & Conſenſus ille de quo ſequens loquitur articulus, res nihili ſunt. Sed miniſtri Regis Hungariæ corradunt undiq;, quibus vulgo perſuadeant id omnibus modis a ſe agi ut via ad Tractatus de pace expeditior ſternatur.*

QUin etiam ut loco fratrum Palatinorum, Ducũ Brunſvicenſum cognatorum ac fratrum, & Landgraviæ Haſſiæ Caſſellenſis, Domus Palatina, Brunſvicenſis & Luneburgenſis, uti & Haſſiæ Casſellenſis in Salvis Conductibus perſcribatur ſimiliter conſenſimus, atque ita de integro, expeditos Salvos Conductus ſæpe dicto Comiti Auersberg tranſmiſimus.

SUper unico duntaxat loco quo inter Monaſterium & Oſnabrugam ad promovendos Tractatus neceſſariaq; inter

22.

*JN hac parte Viennenſes pro imperio decernentem Dominum ſuum & quaſi edicta ſcribentem introducunt, neq; animadvertunt quòd & ad Regem ſcribit, & de negotio de quo inter alios Reges & ipſum pari jure agitur; qui profectò ad hunc modum reddere illi ſuas voces juſtiſſimè poſſent.* Declaramus nos ac reſolvimus quòd quicquid per noſtros & Regis Hungariæ Legatos Hamburgi ſuper ea re determinatũ eſt, id ratum firmumq; ſit. *Sed quid*

Legatos inſtituenda colloquia & conferentias oportunus & omnibus partibus gratus eſſe poſſit, Declaramus (22.) nos ac reſolvimus, quod quicquid per noſtros Cæſareos, atque alios Regios Monaſterii & Oſnabrugæ tum futuros Legatos, ea ſuper re determinabitur, id ratum firmumque erit, prout ad Tractationem illam Legatus noſter ſatis comparebit inſtructus.

*cauſa eſt, cur Imperiales hunc articulum Tractatus Hamburgenſis rejiciant? Nimirum ne Plenipotentiarii Galliæ Sueciæq; in aliquo loco medio inter Oſnabrugam & Monaſterium congredi & negotia invicem communicare poſſint. Hoc non eſt viam qua ad pacem eatur planiorem reddere.*

23.

*HÆc approbatio ejusdem generis eſt cum ſuperioribus, comparata nempe ad illam pacifici animi oſtentationem quâ ſe tuentur Auſtriaci. Etenim conſentire ut Ham-*

QUoad illud autem quod inter Conſiliarium noſtrum Imperialem Aulicum, & Gallicos Suecicoſq; Miniſtros agitatum eſt, ut nimirum ad lucrandum tempus omnia quæ in Congreſſu hoc univerſali reciprocè extradere neceſſum eſt, Hamburgum (23.) deferri atque ibi per Dilect. V. Deputatos eorundem extraditio fieri debeat, nos quidem jam olim omnes eos Salvos Conductus quos noſtris ad Colonienſes Tractatus deputatis

*Hamburgi SalviConductus utrinq; mutuò tradantur id non eſt initium Tractatuum conſtituere, nec difficultates eas tollere quas Conſiliarii Viennenſes excogitarunt ut a pactione Hamburgenſi recederent. Acquieſcunt itaq; & immorantur aut nullius aut exigui momenti articulis ut videantur negotium promovere, qvod aliunde totum ſubvertunt.*

tatis Legatis transmiſeramus, noſtro itidem Hamburgi commoranti Conſiliario Imperiali Aulico eum in finem transmiſimus (quemadmodum eoſdem ibi in prototypis reperire eſt) ſi res ita poſtulaverit etiam illic extraderentur, ſed illos tamen ſub dato etiam hodierno Legato noſtro Cæſareo denuo mittimus, & adhibebitur debitis locis curatio neceſſaria, ut & ii Salvi Conductus qui a Ser. Card: Infante Hiſp: fœlicis recordationis, Oratori Veneto Lutetiam tranſmiſſi, in ejuſdem adhuc verſantur manibus, Hamburgum quoq; remittantur.

AD Sereniſſimum etiam Hiſpniarum Regem (24) ſuper confirmatione omnium a prædicto Ser. Card. Infante datorum Salvorum Conductuum primo quoque tempore ſcribemus, nihilominus ſperantes quòd ne propterea do-



24.

*Hungariæ Rex Legato Lutzovio poteſtatem fecit pro Rege quoq; Hiſpaniæ tractandi. Conventum eſt cum Lutzovio ut Rex Hiſpaniæ Salvos Conductus ad certum modum conceptos largiretur, aut ſaltem confirmaret à Fratre Cardinali Infante quondam conceſſos, ita enim jus fuit, cùm morte extinguatur mandatum. Quid ad hæc Hungariæ Rex? ait ſe ſcripturum in Hiſpaniam, & tardè inde rediturum reſponſum ipſe prævidet.*

*det. De quo quid ſperare aut credere ſocii Reges debeant facilè apparet.*

*25.*

*EXcuſari poſſent homines tanto impetu tantoq; ardore ad pacem properantes, quales videri volunt Miniſtri Regis Hungariæ, niſi iſti præcipitationi in quã conjicere adverſarios cupiunt tam malè conveniret cum ſingulari illo ſtudio repudiandi Tractatum ſolennem qui omnibus hujuſmodi controverſiis ac litibus finem impoſuit.*

*Dictum*

nec inde veniat reſponſum (25.) dicti Tractatus non inchoentur.

QUICquid vero in illa à Dil. V. nobis tranſmiſſa inter Conſiliarium noſtrum Imperialẽ Aulicum & Gallicos Suecicoſq; Miniſtros agitata,



tata,

26.

DIctum eſt ſuperiꝰ & veriſſima eſt aſſertio Tractatum Hamburgenſem nō pendere a benigna aut gratioſa ratificatione Regis Hungariæ. Ipſa inſpectio lectioq; articulorum oſtendit quòd ratificationem Regum Galliæ, Sueciæ, Hūgariæ, Hiſpaniæq; invicem ſtipulati ſint Legati, promiſerintq; pure & ſimpliciter. Inter quos Lutzovius in præfatione Tractatus, nomē titulumque ipſe ſibi ſumpſit ad pacis præliminaria cū poteſtate deputati Legati.

27.

*Non*

tata, & ad noſtram benignam (26.) ratificationem cō-cluſa tranſactione, ſupremæ noſtræ & Sacri Imperii autoritati (27.) repugnans comprehenditur, huic neutiquam aſſentimur neque approbamus: Dil. V. amice ac ſtudioſe requiren-

tes,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0062-0

tes, ut juxta hanc noſtram Declarationẽ partem quoque adverſam eò velit diſponere

34.

*Non debet præſumi Tractatum Hamburgenſem ullo pacto dignitati Regis Hungariæ & autoritati Imperii repugnare. Perfectus enim & concluſus eſt per Conſiliarium Imperialem, & quidem interventu Mediatoris qui inter Principes Imperii recenſetur. Ideo nec diſertè explicant quænam ſint enormia illa autoritati ſuæ repugnantia. Formidant quippe ne illis ſigillatim enumeratis manifeſtum ſiat omnibus, aut nihil revera exiſtere hujuſmodi, aut ſi quid ſit non ejus momenti id eſſe ut tantæ rei negotium quocum tranquillitas publica conjuncta eſt, debeat reſcindere. Quanto ſatiùs fuiſſet chartæ parcere, neq; totas octo paginas opplere ut dicerent Regem Hungariæ incomparabili ſtudio ad pacem ferri: Per ipſum licere ut de ea Monaſterii & Oſ-*

*nabruga tractetur: Legatis Regum ac Principum illic ſine ullo periculo atq; adeo tutis eſſe licere: Diem inchoandæ rei præſinitum, quando de eo convenerit, Salvis Conductibus inſeri poſſe: Conſentire eundem Regem ut Salvi Conductus concipiantur pro Domo Haſſiaca, non pro Land Gravia Haſſiæ: & hujusmodi alia plurima de quibus vel nullum eſſe dubium poſſit, vel omnino nunquam actum eſt. Ut recte defenderetur hæc inficiatio eorum quæ hactenus concluſa ſunt, convenientius erat, omiſſâ illâ inutili enumeratione rerum generalium, ſignatè & per ſpecies deducere, quibus rationibus motus in eam ſententiam deſcenderit Rex Hungariæ ut non ſine læſione exiſtimationis ſuæ, peſſimo exemplo diſſolveret rejiceretq; Tractatum de quo ſuis mandatis inſtructus pro pace Legatus*

nere ac promovere, quò & ipſa Congreſſum hunc ſincerè absque ulla

*Legatus ſuus convenerat: ut nihil deſpiceret Mediatorem tantæ dignationis: ut denique toti Orbi Chriſtiano patefaceret nondum placere ſibi bellorum calamitatibus finem imponi.*

28.

*POſtulat Rex Hungariæ ut nova tractatio inſtituatur, utq; Galli ac Sueci* ſincere

la fraude & (28.) captione ſuſcipiat inchoandum ac promovẽdum, quem in finem ſæpe dicto Legato noſtro Comi-

absq; ulla fraude & captione eam ſuſcipiant. *Nempe profectò ab illis deceptus eſt quando citiùs liberaliusq; quàm ſperaverat de die ordiendæ pacificationis conſenſerunt. Cæterùm ad ſuos omnino Miniſtros hanc Cenſuram aut admonitionem jure optimo transtuliſſet. Neq; enim ullus in iſtis Declaratoriis literis locus eſt qui fraudibus & captionibus vacet.*

*29. Fru-*

Comiti (29.) Auerberg benigne mandavimus ut ſi ita Dil. V. (30.) placitum fuerit, ejuſdem Deputatis ulteriorem

29.

*FRuſtrantur nos ſuis mutationibus, Auſtriaci. Ubi vident cum Lutzovio conveniſſe, eum revocant, & Comitem Auersbergium ſummittunt. Si & cum eo tranſigeretur, tertium nobis objicerent. Sed expletis mandatis Legatorum utriusq; Regni & poteſtate eorum finita, tum quod ſubſcriptione ſolenni ſignarunt Tractatum de quo quæritur, quàm quod ſecuta eſt Ratihabitio Regis Chriſtianiſſimi Reginæq; Sueciæ, in ipſis ampliùs ſitum non eſt hoc tempore quicquam novare aut redordiri ſine novis mandatis.*

30.

*DIfficile eſt Daniæ Regi placere poſſe hos mores, Principi juſto, quiq; autoritatem anno-*

riorem ſuper omnibus proponat (31.) explanationem conjunctâq; opera ac ſtudio eò incumbant ut ab omnibus optatæ illius Pacis tranſactioni exordium reipſa ponatur.

*annorum quadraginta quinqve quibus feliciter regnat pari prudentiâ tueatur. Hinc eſt quòd contentus exemplum harum literarum ad legatos Gallicum Suecicumq; miſiſſe, nihil ipſe ſcripſit, neq; agere cum illis perrexit quemadmodum ſummo ſtudio ãtea fecerat. Sanè infra dignitatem ſuam eſſe credidit ludificationibus Domus Auſtriacæ operam ſuam porrò commodare, quandoquidem illa ſatis malè utitur amicis ſuis non minùs quàm propriis Miniſtris, quòd innoxiè ſimplices perſuaderi ſibi paſſi ſint verè illam voluiſſe promotum negotium pacis.*

*31.*

*31. Unicum eſt quod Comes Auerbergius Gallico Legato proponi ab eoq; peti curavit, nempe ut communicetur ſibi mandatum ſeu plenipotentia quã haberrt a Rege Chriſtianiſſimo pro negotio præliminarium pacis ſecum inchoando. Quæ propoſitio prorſus illuſoria eſt, arguitq; conſilium retractandi difficultates univerſas per Pactionem illam ſolennem cum prædeceſſore ipſius ſopitas & ſublatas. Adeo per illos nullus tandem litigandi finis erit.*

INſuper Dil. V. pro fœlicis & pacati anni precatione condignas merito agimus gratias, vovemusque viciſſim ut Dil. V. laudanda ſollicitudo ac cura deſideratum ab eadem atq; aliis omnibus ſcopum conſequatur, atq; ipſa unà nobiſcum Sac. Rom. Imperii Patriæ noſtræ chariſſimæ tum Regnorum ac Provinciarum ſuarum, atque univerſæ Reipublicæ Chriſti-

*Quamvis* anæ

anæ conſtituta Pace, adeoq; impenſæ ſuæ laudabilis operæ fructu, in plurimos conſequentes annos prolixiſſimè gaudeat: De cætero eidem Dil. V. conſtantem ſinceræ benevolentiæ & amicitiæ affectum cumulate offerentes.

*Vienna prima Febr. 1642.*

*Quamvis Miniſtri Regis Hungariæ datâ operâ amplificaverint Literas iſtas conceſſionibus rerum aut nihili, aut ſuperfluarum, aut quæ non fuerunt controverſæ, quæq; apud omnes in confeſſo ſunt; & ne verbo quidem attigerint quæ ſunt illa quæ rejiciunt in Tractatu Hamburgenſi; Si quis tamen Literas cum Tractatu conferat, facilè apparebit (præter id quod autoritatem ſibi arrogant dirigendi jubendiq; omnia pro imperio) unicè id agi ut vel excludantur vel mutentur omnia capita præcipua. Qualia ſunt, Unitas & connexio duorum Conventuum:*

*Securitas*

Securitas loci cujusdam medii inter Monaſterium & Oſnabrugam in quo communicatur invicem Plenipotentiarii utriusq; Regni conveniant: Neutralitas illarum urbium durante tractatione: Literæ Reverſales Magiſtratuum utriusq; loci quibus ſecuritati Miniſtrorum externorum Regum Principumq; proſpiciatur: Declaratio denique Salvorum Conductuum qui utrinq; tradi debeant.

DE capite poſtremo Salvorum nempe Conductuum toto triennio pugnatum, tandem cum Legato Plenipotentiario Regis Hungariæ tranſactum eſt. Et ecce denuo ad primordia revocamur. Interim manifeſtiſſimè omnes perſpiciunt ſolâ Domus Auſtriacæ culpâ fieri quòd tractatio pacis non inchoetur. Illi quoq; qui partibus ipſius maximè favent, qua ratione hanc tergiverſationem defendant non reperiunt.

*Rex Daniæ quid ſentiat ipſo ſilentio profitetur, magna ſanè conſtantiæ gloria. Quamvis enim ſit Princeps Imperii, habeatq; negotia graviſſima quorum ad Aulam Viennenſem cognitio pertinet, adeo tamen ſancte religioſeq; juſti Mediatoris officio fungitur, ut poſtquam viam qua ad pacem perveniatur utrisq; partibus aperuit, qvos ſponte aberrare ac declinare videt, nec defendendos tales ſuſcipiat nec operā ſuam iis amplius largiatur, licet impenſe prolixeq; his literis ut id faceret invitatus.*

*Hoc ſolum illis tribuit quod unum poteſt, ut ſileat. Etenim ſi alia fuiſſet rerum facies, ſi Reges Hungariæ Hiſpaniæq; ratum habuiſſent Tractatum Hamburgenſem Galliâ forte Sueciâq; refragantibus aut tergiverſantibus, tantum profecto criminis contractum foret quantum ipſe Albis vix omnibus undis elueret.*

TRA-

# TRACTATUS
## DE PRÆLIMINARIBUS PACIS UNIVERSALIS.

SAcræ Cæſareæ Majeſtatis & Imperii aulico Conſiliarius ad Circulum Inferioris Saxoniæ, & ad Pacis Præliminaria cum poteſtate deputatus Legatus Conradus a Lutzow &c. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, conſtare volumus; Poſtquam multis retrò annis agitari cœperunt rationes inſtituendæ de Pace Univerſali tractationis, atq; aliæ ex aliis difficulates in Prælimi-

naribus emerſerunt, tandem Deo adſpirante & Sereniſſimi Regis Daniæ tanquam Mediatoris interpoſita autoritate, factum eſſe, ut inter nos, pro ſua dicta Cæſarea Majeſtate & Rege Hiſpaniarum ex una, & Illuſtriſſimum & Excellentisſimum Legatum Dominum Claudium de Meſmes Comitem d' Avaux pro Rege Chriſtianiſſimo ex altera parte, dicta Præliminaria concluſa ſint ſequentem in modum.

Loca Univerſalis Tractatus ſint Monaſterium & Oſnabruga in Weſtphalia, ex quorum utroq; ſtatim poſt commutatos (ut infra dicetur) Salvos Conductus, educantur militaria partium præſidia, & durantibus Congreſſibus dictæ Civitates ſacramento erga utramq; partem ſolutæ ad neutralitatem obligentur.

Magiſtratui interim proprio cum milite & civibus ſua cujusq; Urbis cuſtodia relinquatur. Ipſe viciſſim dato reverſali obſtringatur ad fidelitatem &

ſecuri-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0073-1

ſecuritatem toti Conventui præſtandam, & tractantium res ac perſonas, comitatumq; ſancte habendum & cuſtodiendum; & ſi quid ab eo pro communi tractatus bono requiſitum fuerit, præſtet ſe quidem obſequentem, neutrius tamen partis juſſa exequatur niſi ab utroq; Legatorum corpore collegiatim inſinuata.

Uterq; Congreſſus pro uno habeatur, atq; ideo non ſolum itinera inter Monaſterium & Oſnabrugam, omnibus quorum intereſt ultro citroq; libere ſecureq; commeari poſſe, tuta ſunto: Sed & quicunq; interjectus locus particulari tractantium Conventui pro mutua communicatione commodus viſus fuerit, eâdem qua dictæ Urbes ſecuritate fruatur.

Si vero, quod Deus avertat, Tractatus Univerſalis re infecta diſſolvetur, recipiant Monaſterium & Oſnabrugam ſtatum & præſidia quæ nunc habent omni ex parte, at ſancte religioſeq; ſervetur neutralitas ad ſex hebdomadas poſt abruptum Tractatum.

Salvi

Salvi Conductus ad Monaſterienſem Congreſſum infra enumerati commutentur utrinq; omnes intra menſes duos, a die hujus Conventionis ; & ne diverſis diſſitisq; procul locis facienda commutatio implicet negotium, ac novas adferat moras, fiat illa Hamburgi per Regios Daniæ Miniſtros.

Et quidem ex una parte tam Imperator quàm Rex Hiſpaniæ tradant ſequentes Salvos Conductus quiſq; ſuos.

1. Pro Plenipotentiariis Regis Chriſtianiſſimi.
2. Pro Reſidente Suecico.
3. Pro Plenipotentiariis Sereniſſimæ Duciſſæ Sabaudiæ.
4. Pro Plenipotentiariis Ordinum Generalium Fœderati Belgii.
5. Pro Deputatis Electoris Trevirenſis.
6. Pro Principe Carolo Ludovico Comite Palatino Rheni ejusq; Fratribus aut eorum Deputatis.

7. Pro Ducibus Brunſuicenſibus & Lu-
neburgenſibus aut eorum Depu-
tatis.

8. Illuſtriſſimæ Principis Ameliæ Eliza-
bethæ LandGravii Haſſiæ Viduæ
Deputatis.

9. Pro Univerſis Imperii Ordinibus, Gal-
liæ Fœderatis & adhærentibus in
genere, aut eorum Deputatis.

Ex altera parte per dictos Daniæ Mi-
niſtros dictoq; loco & tempore tradan-
tur ad eundem Congreſſum Monaſteri-
enſem Chriſtianiſſimi Regis Salvi Con-
ductus.

1. Pro Plenipotentiariis Imperatoris.
2. Pro Plenipotentiariis Regis Hiſpaniæ
3. Pro Utriusq; Fœderatis & adhærenti-
bus in genere, aut eorum Depu-
tatis.
4. Pro Deputatis Electoris Colonienſis
5. Pro Deputatis Electoris Bavariæ.

Salvi

Salvi Conductus Cæſarei & Hiſpanici pro Plenipotentiariis Duciſſæ Sabaudiæ, ſub ea forma concepti tradantur, quæ in exemplari apud Sereniſſimum Daniæ Regem depoſito, expreſſa eſt, addito tantùm titulo TUTRICIS Filii ſui Sabaudiæ Ducis, & ejus, ſtatuum REGENTIS.

Cæteri omnes & ſinguli tam ex parte Imperatoris & Hiſpaniæ, quàm ex parte Galliæ ſub ea formula quæ noviſſime per Mediatorum Legatos communicata partibus & ab illis probata fuit.

Quò faciliùs a parte Hiſpaniæ Salvorum Conductuum commutatio procedat, valeant qui antehac a vivente Sereniſſimo Cardinali Infante in forma ſupradicta expediti fuerunt, ſi a Rege Catholico confirmentur & ratihabeantur.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0077-3

Singulis Salvis Conductibus dicta Tractatus Univerſalis loca dieſque ex præſcripto ſequentis articuli inſerantur; & præſentis Tractatus autographum, datâ Singulis Legatis copia autentica apud Sereniſſimum Daniæ Regem deponatur.

Dies autem auſpicando utriq; Congreſſui Monaſterienſi nimirum & Osnabrugenſi dicta coſtitutaq; eſto vigeſima quinta menſis Martii proxime venturi: Quod felix fauſtumq; Orbi Chriſtiano det eſſe DEUS.

Præſens Tractatus cum altero ſuper iiſdem Pacis Univerſalis Præliminaribus hodierna quoq; die cõcluſo inter nos Conradum a Lutzow pro Sereniſſimo Imperatore ex una, & Illuſtriſſimum Legatum Dominum Joannem Salvium pro Sereniſſima Regina Sueciæ ex altera

parte unus idemq; ſit Tractatus, nec niſi adimpletis utriuſq; conditionibus, alteruter pro impleto habeatur.

In quorum omnium fidem præſentes manibus noſtris ſignatas, ſigillis quoq; mutuis firmavimus, earundem ratihabitionem a Principalibus utrinq; noſtris factam, unà cum dictis Salvis Conductibus, ſtatuto tempore ac loco inſinuandam promittentes. Actum Hamburgi die $\frac{15}{25}$. Decembris Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo quadrageſimo primo.

L.S. *Conradus a Lutzow*

SAcræ Cæſareæ Majeſtatis & Imperii Aulico Conſiliarius ad circulum inferioris Saxoniæ, & ad pacis præliminaria cum poteſtate Deputatus Legatus Conradus a Lutzow, &c. univerſis & ſingulis quorum intereſt, conſtare volumus, poſtquam multis retro annis agitari cœperunt rationes inſtituendæ de pace univerſali tractationis, atq; aliæ ex aliis difficultates in præliminaribus emerſerunt, tandem, Deo adſpirante, & Sereniſſimi Regis Daniæ, tanquam Mediatoris interpoſita authoritate, factum eſſe, ut inter nos ſimul ac Sereniſſimæ Reginæ Regnique Sueciæ Aulæ Cancellarium & Legatum, Illuſtrisſimum & Excellentisſimum Dominum Johannem Adler Salvium dicta præliminaria concluſa ſint, ſequentem in modum.

Loca univerſalis Tractatus ſint Oſnabruga & Monaſterium, in Weſtphalia, ex quorum utroq; ſtatim poſt commutatos ( ut infra dicetur ) Salvos Conductus, educantur militaria partium præſidia & durantibus Congreſſibus, dictæ civitates, ſacramento utriuſq; partis ſolutæ, ad neutralitatem obligentur. Magiſtratui interim proprio cum milite & civibus ſua cujuſq; urbis cuſtodia relinquatur, Ipſe viciſſim dato reverſali, obſtringatur ad fidelitatem ac ſecuritatem toti Conventui præſtandam ac tractantium res ac perſonas comitatumq; ſanctè habendum & cuſtodiendum. Et ſi quid ab eo, pro communi tractatus bone requiſitum fuerit, præſtet ſe quidem obſeqventem, neutrius tamen partis juſſa exequatur, niſi ab utroque Legatorum corpore collegiatim inſinuata.

Jura & Privilegia civitatis Oſnabrugenſis interim ſalva maneant, & Templa, Scholæ, Curiæ penes Senatum.

In cognominem vero diœceſin neutrâ belligerantium pars plus juris factive ſibi ſumat, quàm tempore hujus Contractus habent.

Uterq; Congreſſus pro uno habeatur, atq; ideo non ſolum itinera inter utramque urbem omnibus quorum intereſt ultrò citroq; liberè ſecureque commeari poſſe tuta ſunto : ſed & quicunq; locus interjectus particulari tractantium conventui, pro mutuâ communicatione videbitur commodus; eâdem, quâ dictæ urbes, ſecuritate fruatur.

Libera quoq; ſit in omnia dicta loca Literarum, Commeatus & rerum omnium, tanto Conventui neceſſariarum importatio, exportatioq; nec ab ullâ parte, ullove modo aut prætextu, uſquam turbetur, ſed potius omni meliori modo promoveatur.

Si verò, quod Deus avertat, Tractatus re infectâ diſſolvi contigerit, recipiant Oſnabruga, Petersburgum & Monaſterium ſtatum & præſidia, quæ nunc habent omni ex parte, at ſanctè religioſeque ſervetur neutralitas ad ſex hebdomadas poſt abruptos tractatus.

Salvi Conductus pro utroque Congreſſu, commutentur utrinq; omnes intra duos menſes a die hujus Conventionis. Et ne diverſis diſſitisque procul locis facienda commutatio implicet negotium moraſq; novas adferat, fiat illa Hamburgi per Regios Daniæ Miniſtros.

Et quidem ad Congreſſum Oſnabrugenſem ex parte Auguſtisſimi Imperatoris tradantur ſequentes Salvi Conductus.

1. Pro Reginæ, Regniq; Succiæ Plenipotentiariis.

2. Pro Reſidente Gallico.

3. Pro Domo Palatina.

4. Pro Domo Brunſuicenſi & Luneburgenſi.

5. Pro Domo Haſſiaca Caſſellana.

6 Pro univerſis Imperii ſtatibus, Sueciæ fœderatis & adhærentibus in genere.

Ex parte verò Serenisſimæ Reginæ Sueciæ tradantur ſequentes Salvi Conductus.

1. Pro Imperatoris Plenipotentiariis.

2. Pro Deputatis Electoris Moguntini.

3. Pro Electoris Brandeburgici Deputatis.

Supradicti Salvi Conductus omnes & ſinguli, tam ex parte Romani Imperatoris, quàm Reginæ Sueciæ, ſub ea formula, quæ novisſimè per Mediatorum Legatos communicata partibus, & ab iis probata fuit, concepti extradantur.

Singulis quoq; Salvis Conductibus ſupradicta tractatus univerſalis loca reſpectivè inſerantur. Et præſentis

tractatus

tractatus autographum, data ſingulis Legatis copiâ authenticâ, apud Sereniſſimum Daniæ Regem deponatur.

Dies autem auſpicando utriq; Congreſſui Oſnabrugenſi & Monaſterienſi dicta, conſtitutaque eſto $\frac{15}{25}$. menſis Martii proxime venturi, quod felix fauſtumq; orbi Chriſtiano det eſſe Deus.

Præſens autem tractatus cum altero, ſuper iiſdem pacis Univerſalis præliminaribus hodiernâ quoq; die concluſo inter Nos Conradum a Lutzow pro Imperatore Romano & Rege Hiſpaniarum ex una, & Illuſtriſſimum Legatum Dominum Claudium de Meſmes Comitem d' Avaux pro Chriſtianiſſimo Rege ex altera parte, unus idemque ſit tractatus, nec niſi adimpletis utriuſq; conditionibus alteruter pro impleto habeatur.

Quæcunque ſuprà de die lociſque tractatuum dicta ſunt, ea a Principalibus utrinq; noſtris peculiari Inſtrumento rata habebuntur, eaque ratihabitio unà cum enumeratis Salvis Conductibus præſtituto tempore ac loco reciprocè commutabitur.

In quorum omnium fidem, roburq; præſentes, manibus noſtris ſignatas, ſigillis quoq; mutuis firmavimus. Hamburgi die $\frac{15}{25}$ Decembris Anno 1641.

L.S. *Conradus a Lutzow.*

# EXPROMISSIO SERENISSIMI REGIS DANIÆ.

Illuſtri & Generoſo Domino Claudio de Meſmes Comiti d' Avaux Commendatori Regii Ordinis & Chriſtianiſſimi Regis Galliarum Legato Extraordinario.

## CHRISTIANUS IV.

Dei Gratia Daniæ, Norvegiæ, Wandalorum Gothorumque Rex, dux Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt.

Singulari favore & gratia noſtra præmiſſis, Illuſtris ac Generoſe, ſincere nobis Dilecte, Relatum nobis ex quibus cauſis arbitramini vobis nō licere, quoad duo iſta poſtulata in Præliminaribus hactenus tot an-

 nos

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0087-8

nos tractatis reſtantia etiamnum in reſolutione Cæſaris acquieſcere : ſpes fuit non parva cum ad manus noſtras ea perveniret, nihil vos amplius deſideraturos, Quia verò veſtris Mandatis ſtrictè inhæretis, & ad finem horum præliminarium non properatis, antequam *Salvi* Conductus cum titulo TUTRICIS & REGENTIS pro Sereniſſima Duciſſa Sabaudiæ traditi fuerint, ſimulq; adſit a Rege Hiſpaniarum plenipotentia & ratihabitio eorum quæ circa hæc Pacis Univerſalis præliminaria Hamburgi cum Legato Cæſareo concludentur.

Cum nos etiam ex literis Imperaroris intellexerimus quam enixè ille cupiat remoto omni obſtaculo in cauſa principali fieri initium, nosque ipſimet conſideraverimus quam neceſſarium univerſæ Chriſtianitati ſit, hoc ut quo citius fiat, vobis expromittimus prædictos Cæſarem Regemq; Hiſpaniæ his veſtris deſidera-

deſideratis quantivis etiam momenti, locum daturos, & amore aureæ pacis & dolore tot calamitatum, quibus Imperium Romanum, totaq; Chriſtianitas eſt implicata, requiſitioni noſtræ non defuturos.

Contendimus itaq; a vobis benevole, velitis ultimam hiſce præliminaribus addere manum, & hinc inde traditis ſalvis Conductibus, qui ſunt ad manus, ſine ulteriori mora de certo die determinando cum Legato Cæſareo convenire. Nos vobis gratiam & benevolentiam iterum pollicemur. Dabantur in Caſtris noſtris Fulsbutteliæ die 25. Novembris Anno 1641.

*CHRISTIANUS.*

# RESPONSUM
## LEGATI GALLICI.

SERE-

# Serenissimo ac Potentissimo Principi Christiano Quarto Daniæ, Norvegiæ, Gothorum, Vandalorumque Regi.

SErenisſime ac Potentisſime Rex, in verbo veſtro laxavi rete. Quamvis nec literæ Salvorum Conductuum nec alia adesſent, quemadmodum oportuit antequam Conventui de Pace univerſali dies præfiniretur; tamen in Tractatum non invitus conſenſi quem nunc ad Majeſtatem Veſtram belligerantium Principum Legati mittimis.

Valuit apud me ſecuritas Regiæ Expromisſionis, ut præter ordinem uſumque rerum gerendarum & præter ipſa mandata eouſq; progredi auderem, arbitratus contra Juriſperitorum regulas hac vice ineſſe cautionis tantum in per-

ſona quantum in re, quod is fidem interpoſuerit ſuam qui & Rex eſt & arbiter publicæ concordiæ, & armatus. Spero equidem fore ut tantam autoritatem ſecutis nemo nobis impunè & afflicti Orbis expectationi illuſerit: nec dubito quin Reges ac Principes Chriſtiani conſideratè religioſeq; habituri ſint judicium ejus, qui inter ipſos & ætate eſt primus & longo regnandi uſu coalitam prudentiam vel his maximè difficilimis temporibus exerit.

Saltem id certò ſpondere poſſum Majeſtati Veſtræ, Chriſtianiſſimum Regem unà cum belli Sociis ac fœderatis impleturum abundè quicquid ſuarum eſſe partium ex præſenti Tractatu intelliget, & gratiſſimo quoq; animo (non ſegnius ac cæteri omnes qui communibus miſeriis finem impoſitum verè cupiunt) æſtimaturum labores officia ſtudiumq; incomparabile, quo Majeſtas Veſtra

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0091-5

ſtra promovere negotium Pacis & Reipublicæ Chriſtianæ priſtinam conficere tranquillitatem, conſilio præclaro illuſtrique conatu tot jam annos perſeverat. In re tam ardua ſi nec opera mea inutilis fuit, eamque Regiæ Majeſtati Veſtræ probare potui, equidem me ſummam habere votorum meorum libens profitebor qui ſum jampridem.

SERENISS. MAJEST. VESTRÆ

*Humilimus & obſervantiſſimus Servitor*

*CLAUDIUS DE MESMES.*

*Hamburgi prima Januarij 1642.*

Illuſtris-

# ILLUSTRISSIMI LEGATI SUECICI AD AMICUM EPISTOLA DE TRACTATIBUS PACIS.

MAgnifice & Nobiliſſime Domine Amice plurimum honorande, quæris a me nuperis tuis, quo loco Tractatus Pacis ſint? ut quid ſperari metuive debeat, & tu & amici noſcatis. Quæſiverunt id tecum jamdudum multi, tam cupidi ſcire, quid eos moretur, quàm anxiè hactenus pacem optarunt. Et quærendi cauſas habuere. Nam & Imperator a multis annis nihil magis deſiderare viſus eſt & Regna fœderata ſe ſemper ad tractandum promta parataq; fuiſſe teſtantur. Mediatores autem tantum operæ ſtudiique in re ſaltem ad congreſſum promovendæ poſuerunt, ut eos jam fere laboris ac ſumptuum tæde-

re incipiat. Nec tamen adhuc potuit Tractatus ſaltem inchoari: aliis omnibus prout quiſq; in hanc illamve partem fuerat pronior, ita huic illive moram culpamq; imputantibus. Ut igitur deſiderio tuo ſatisfaciam & candidè dicam quod res eſt, etſi nonnulli antehac fere opinati ſint, Regna, pacis odio, moras nectere; nunc tamen omnibus notum eſt Auſtriacos adhuc Paci bellum præferre. Non opus eſt primos Electoris Saxoniæ & Sigiſmundi Marchionis Brandeburgici Tractatus, cum Suecis repetere, nec quibus viciſſitudinibus, Franciſcus Albertus, Julius Henricus, Franciſcus Carolus, Duces Lavenburgici, tum Auguſtus Brunſuicenſis diu circumducti, tandem præ tædio rem deſeruere.

Nota jam tibi ſunt iſta ludibria: Id ſaltem probè notari convenit, quòd, cùm ante paucos annos Comes Curtius viceCancellarius Imperii magno cum rumore tractandæ pacis Viennâ in Saxoniam ſubmitteretur, is quidem & nobis

Regnorum Legatis, & Mediatoris Miniſtris, abſolutam tractandi poteſtatem oſtenderit; at ubi ad rem ventum eſſet, Tractatu vix tentato, Viennam reverſus, ibique amicis (Principibus viris) nimis properum ejus abitum exprobrantibus, ingenuè faſſus eſt nulla ſe fuiſſe inſtructione munitum. Econtra Succeſſor ejus Lutzovius, mandata quidem mecum ſolo agendi, principio attulit; ſed nullam omnino Plenipotentiam; prout intercepta ejus inſtructio, quibus artibus requirendæ poteſtatis defectum excuſaret, edocuit.

Accepta demum poteſtate cum utroq; Legato tractandi prohibitus eſt cum Gallico, niſi mediante me, congredi; quaſi Suecia inter fœderatam Galliam & hoſtem utriuſque Cæſarem, potuiſſet ullo modo agere Mediatricem. Negotio tamen per hos gradus diu protracto, poſtquam tandem ægre veniam impetraſſet cum utroq; conjunctim agendi, voluit inprimis ut ſine ſcriptis cuncta peragerentur:

tur: Quod quidem nobis perinde fuiſſe teſtamur Legati Regnorum, niſi toties eluſi neceſſarium duxiſſem9, ſcripto transigere; ut & Regna obligari velle doceremus, & dubiam alterius partis fidem tandem obligaremus. Itaq; interventu D. Langermanni Juriſconſulti, Decani Hamburgenſis, Conſiliarii Regis Daniæ, ejusq; tanquam Mediatoris, ad hunc actum cum literis fiduciæ ad unumquemq; noſtrum datis Deputati, poſtquam ille variis hinc inde difficultatibus componendis diu multumq; operam navaſſet, conventum eſt tandem in inſtrumentum, cujus tenor hîc adjunctus eſt ſub litera A.

Vi hujus transactionis cum jam dies $\frac{15}{25}$. Februarii inſinuandis ratihabitionibus & Salvis Conductibus commutandis deſtinata veniſſet, nos Legati Regnorum ratihabitiones noſtrorum Principalium & Salvos Conductus omnes in termino, ſuetaque ſummis Imperiis formâ,

pro-

produximus. Cæſareus autem, cùm ſperaretur ex ſua quoq; parte optatum negotio finem impoſiturus, hinc revocatur, nulla mentione facta ullius Cæſareæ Ratihabitionis.

Octiduo tamen poſt dictum terminum Dn. Langermannus oſtendit nobis exemplar cujusdam epiſtolæ (ut videre eſt ſub litera B) ab Imperatore ad Regem Daniæ, per Comitem ab Auersberg Lutzovio ſubſtitutum, miſſæ, requirens, ut etiamſi nolit Imperator dictum Tractatum, prout optandum fuiſſet, ratum habere, a propoſito tamen pio aliisq; mediis promovendæ Pacis non deſiſteremus. Nos cernentes nec dictum exemplar vidimatum eſſe, nec Dn. Langermannum ut ad priores actus conſueverat, ullas a ſuo Rege fiduciæ literas adferre, cogitabamus forte Regem ipſum indignitate rei commotum ea ſtudio præteriiſſe. Re itaque invicem deliberata, mirabundi reſpondimus, hanc epiſtolam, ut maxime pro autentica haberi

ri poſſet, eſſe tamen rem inter alios actam nec ad nos, nec ad noſtros Principales directam. Eam pro ratihabitione Regnis oſtentare, inſolens plane inſeratumq; videri. Quippe quæ non modò externâ omni Ratihabitionis formâ careret, ſed & ipſam Tractatus ſubſtantiam vel tolleret vel immutaret, potius in omnium, qui hos tractatus promoverant, deſpectum, quàm pacis teſtimonium emiſſa. Imperatorem antehac toties & tam ſolenniter conteſtatum eſſe, ſe nihil ardentius cupere quam ut præliminaria quantocius abſolverentur. In eum finem Legato ſuo Lutzovio non limitatam ſed plenam liberamque ea concludendi poteſtatem feciſſe prout ejꝰ apographum hîc juxta teſtatur. Quin & eundem ex abundanti ab univerſis Imperii Ordinibus, datis Ratisbonâ literis ad Regna publicâ totius Germaniæ fide adeo fuiſſe munitum, ut de ejus legitimatione, vel adverſæ partis ſinceritate ſeriâ nec vel diffidentiſſimus ambigere amplius potuerit. Tot

Tot Sincerationibus, Plenipotentiis, Legitimationibus & nos & Regem Mediatorem credidiſſe, cum eo tractaſſe, ac concluſiſſe, idque non ſub libero ſed neceſſario rato. Et hoc concluſo, exteris & Imperii Statibus communicato, univerſos tam certam Tractatuum ſpem concepiſſe, ut & ſinguli fere publica in Eccleſiis vota pro felici eorum ſucceſſu paſſim concipi mandarint. Quæ cum ita ſe habeant, atqué Auſtriaci inſuper toti mundo tam operoſe hactenus perſuadere conati ſint, per ſe minime, per Regna verò omnino ſtetiſſe, quominus dicti Tractatus antea ſint inchoati; nequaquam nos ſperare, Imperatorem nunc, revocato priori Legato, ſuo nomine promiſſam recuſare Ratihabitionem; miſſoq; novo, novos iterum de Præparatoriis tractatus inſtituere velle. Multo nos reverentius ſentire de candore Cæſareæ exiſtimationis, quàm ut ſaltem ſuſpicari poſſimus, Eam, toties publice datam fidem nolle ſervatam, vel

Plenipotentiarium ſuum & Conſiliariu
Aulico Imperialem tanto probro oner
tum velle ac ſi vel ignoraverit ſui muner
rationes, vel mandatorum fines malitio
transgreſſus ſit. Tantum abeſt ut nob
perſuadere poſſimus, Eam Regi Mediato
ri, tanto Imperii Statui & Vaſallo, quaſi
liquid contra Imperatoris & Imperii D
gnitatem peregerit exprobrare ; aut R
gnis fœderatis & Orbi Chriſtiano tot irr
tis tractatibus illudere voluiſſe ; Poteſt
tem & mandata noſtra quoad præparato
ria tum concluſione dicti Tractatus, tu
Regiarum Ratihabitionum ſupervent
expiraſſe. Ut his annullatis, eoq; quod ſ
mel cum uno tantopere Legitimato C
ſareo & Imperiali Legato idq; ſub tan
Mediatoris autoritate tranſactum eſſet
inſuper habito, idem denuo, cum novo
jusdem Miniſtro, de cujus legitimation
nihil adhuc conſtaret, retractare inciper
mus; id verò & maximopere eluſorium, &
ab omni prorſus ratione alieniſſimum e

ſe; poſtulare itaque ut Cæſareo Hiſpanica Ratihabitio absque ulteriori mora tandem edatur: ne res tanta totius Europæ, potiſſimum vero animam agentis miſerrimæ Germaniæ, lacrimis tandiu deſiderata, deteſtandis ejusmodi ludibriis amplius extrahatur. Sin minus nos coram Deo & univerſo Orbe Chriſtiano ſolenniter proteſtari, Principalibus noſtris ab omni jam ſuſpicione omnino liberatis, moram culpamq; protractæ pacis penes ſolos reſidere Auſtriacos, qui quàm ſpecioſis hactenus criminationibus eam fœderatis impingere ſategerint, tam manifeſte jam toti mundo oſtendunt, ſe nihil minus quam pacem, nihil autem magis quam bellum in animo unquam habuiſſe.

Atq; hæc ſunt, quæ de Pace ultro citroq; acta fuere, nec tamen in hunc usque diem ulla ab Imperialibus ratificationis ſpes facta eſt. Judicium jam tibi cum amicis integrum relinquo; Deum orans, ut Cæſareæ Majeſtatis conſilium Germa-

no Hiſpanicum, ad veram tandem minimeque fucatam quietem inclinet. Dabam Hamburgi die $\frac{15}{25}$. Martii (qui unanimi aliorum Legatorum Conſenſu, univerſalis Pacis Tractatui ſtatutus erat) Anno 1642.

## Poſtſcriptum.

NE præcedens relatio motu Exercituum interciperetur, detinui eam penes me, ad præſentis Tabellarii ſecuritatem. Interim intellige Regem Daniæ hiſce diebus per literas a Comite Auersbergio poſtulaſſe, ne gravetur, ſibi ſcripto aperire rationes Imperatori obſtantes, quominus concluſa præliminarium ratihabere velit: inprimis verò, quid in dictum Tractatum contra Imperatoris & Imperii dignitatem putet irrepſiſſe? copia Reſponſi nondum mihi facta eſt, audio tamen id in ſequentibus fere conſiſtere.

Primò quòd prætendat Legatum Gallicum Comitem d'Avaux caruiſſe poteſtate; cùm tamen ille non modo Pleni-

potentiam ſuam ad totum Tractatum etjam principalem, tam Comiti Curtio quàm Mediatoribus jamdudum oſtenderit; ſed & inſuper ratihabitionem Tractatus præliminaris ſub manu & ſigillo Regis Chiſtianiſſimi, hîc ad manus habeat.

Deinde quòd dicat, Imperatorem quidem probare loca principalis Tractatus, Monaſterium & Oſnabrugam: Et ut præſidia Suecica Oſnabrugâ educantur: nolle tamen ut dictæ civitates durantibus colloquiis ſacramento utriusq; partis ſolutæ ad neutralitatem obligentur, vel dato reverſali, tractaturis ſecuritatem promittant; ſed ut loco horum ſufficiant ſui Salvi Conductus. Multò autem minùs velle ut uterque Tractatus habeatur pro uno: aut Regna in propriis inſtrumentis nomina Regum ſuorum præponant. Eſſe hæc omnia contra ſuam & Imperii Dignitatem, conſentire quidẽ, ut Tractatu, re infectâ, ſoluto, præſidia Suecica viciſſim Oſnabrugam introducantur, ſub hac tamen conditione, ut

ut idem de Monaſterio obſervetur. Verùm Legati Regnorum regerimus: Inprimis iniquum eſſe, ut cùm Suecia in pacis favorem educto præſidio Oſnabrugenſi civitatem præſenti ſacramento exſolvat; eadem civitas adverſæ parti juramento obſtringatur. Sicut enim Imperator nollet ſuos Legatos præſidiis Suecicis committere; ita nec æquum eſſe, ut Sereniſſima Regina Sueciæ ſuos concredat hoſtilibus. Salvum Conductum Imperatoris antehac non ſuffeciſſe, quominus Elector Saxoniæ Comitem Brandenſtenium interceptum ſqualoribus crudeliſſimi carceris ad mortem manciparit. Neceſſum igitur eſſe, ut nobis inpoſterum meliùs proſpiciamus; adeoque ut dictæ civitates durante ſaltem Congreſſu, & utrinque declarentur neutrales, & utrique parti, per reverſale caveant de omnimoda ſecuritate. Quò magis autem Imperator detrectat utrumque Tractatum habere pro uno, eò minùs Regna committendum ducere, ut ſeparentur. Nihil

hil nos detractum cupere dignitati vel Imperatoris vel Imperii, ſed nec ut ipſe quicquam Regum noſtrorum dignitati detrahar pati velle. Non eſſe rem inter Superiores & Inferiores; ſed inter ſumma utrinque Imperia. Promittere verò, pace non ſuccedente, introductionem præſidii Suecici Oſnabrugam ſub conditione, id verò prorſus captioſum eſt. Cùm enim civitas Monaſterienſis nunc propria tantum præſidia habeat, non educenda, ſed ſub imperio Magiſtratus urbis durante Tractatu retinenda: minimè veriſimile eſt, eam, tali caſu, præſidia Imperatoris facilè admiſſuram: atque ita, conditione ceſſante, nec Oſnabrugam Suecica receptūram. Et qui præterea plures ejus farinæ frivoli prætextus ſunt: qualis etiam eſt quòd Lutzovius oblitus ſit Imperatori titulum POTENTISSIMI tribuere; cùm tamen is multò majorem tribuiſſet, niſi brevitas durationis inſtrumenti, breviores quoq; titulos tam ipſi, quàm nobis Regum Legatis, hac vice impe-

imperaſſet. Sed quid mirum, bella tantum animo volventes, ejusmodi paſſim obices progreſſui Pacis opponere? Et tamen non pudet eos etiamnum ſparſis hinc inde fallacibus literis Regna traducere, quaſi eâ Tractatus remorentur: cùm tamen uterq; Regum miſſis Hamburgum Ratihabitionibus, & Loca, & Diem, & Salvos Conductus omnes ſingulosq; (his enim tribus Præliminaria conſtant) omnimode approbarint: Nosq; eorum Legati quotidie paratiſſimus ad ſingula extradendum, iterq; Oſnabrugam & Monaſterium maturandum: modò idem quoq; vellent Auſtriaci. Vale. Datum ut in literis $\frac{11}{21}$. Aprilis 1642.

Magnificæ Dominationi Veſtræ

*Ad officia paratiſſimus J. SALVIUS.*

## LITERÆ

SERENISSIMI DANIÆ REGIS ad Gallicũ in Germania Legatum 23. Aug. SCRIPTÆ CIRCA EOSDEM DE PACE TRACTATUS.

# CHRISTIANUS IV.

Dei Gratia Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum Gothorumque Rex, Dux Schlesuici, Holſatiæ, Stormariæ ac Ditmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt.

*Ejusdem argumenti literæ ab eodem Rege ad Suecicum Legatũ Germanicâ lingvâ ſcriptæ fuerunt.*

SAlute & Gratia noſtra præmiſſis &c. Illuſtris & Generoſe nobis ſincere grateq; Dilecte, Venit ad nos Hafniam paucos ante dies Cæſareus Legatus Comes ab Auersberg nobisq; exhibuit omnia ea, quæ vigore Transactionis Hamburgi cum Lutzovio initæ, ex parte Imperatoris præſtari oportet, exceptis duntaxat iis quæ a Rege Hiſpaniarum deſiderantur, quæ & ipſa ſe intra breve tempus exhibiturum, atq; ita dictæ transactioni, quantum ex ea ad Imperatorem & Re-

gem Hiſpaniarum pertinet, usquequaq; ſatisfacturum eſſe promiſit. Cum igitur nihil (quod ſciamus) ſuperſit, quod Tractatus Pacis ulterius remoretur, reliquum nunc eſt, ut extraditioni eorum inſtrumentorum quæ jam unicuiq; Legatorum ad manus ſunt, & Congreſſui auſpicando dies dicatur; quorum illi quidem 29. hujus menſis, huic autem (ne Legatus Cæſareus in exhibitione promiſſa eorum quæ Regi Hiſpaniarum præſtanda ſunt, temporis auguſtiam accuſare poſſit) calendas proximi Decembris conſtituimus. De vobis ſpem indubitatam concepimus, fore & vobis hæc gratiſſima, nobisq; libenter vos conſenſuros, & propterea iter, cui vos accinxiſtis, tantiſper ſuſpenſuros eſſe: certi navem illam noſtram ſecuritati itineris veſtri deſtinatam paratam fore deinceps quandocunq; vobis in patriam reverti placuerit. Cupimus autem ut nos voluntatis veſtræ de his omnibus & ſingulis quantocius & per exhibitorem præſentium certiores

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0108-6

ores faciatis. Nos vobis viciſſim gratiam noſtram Regiam deferimus. Datum in noſtra Gluckſtadia die $\frac{13}{23}$. Auguſti 1642.

CHRISTIANUS.

*Reſponſum Legati Gallici.*

SEreniſſime ac Potentiſſime Rex, qvæ Majeſtati Veſtræ Comes Aversbergius tam luculenter promiſit, etiam apud me fidem invenirent, ſi ſincere tandem Auſtriaci ſine ambagibus ullis ſine reſervationibus aut diverticulis ſtudium pacis profiterentur. Norunt omnes quàm juſtis de cauſis plenam Tractatus Hamburgenſis ratificationem Legati Galliæ Sueciæque repoſcimus, parati talem accipere ab Imperialibus & Hiſpanicis qualem ipſi jamdudum exhibuimus. Scilicet ad id obligantur religione pactorum ſolennium & vi

vi ſponſionis a Majeſtate Veſtra incomparabili exemplo interpoſitæ. Quid hactenus ſecutum ſit res ipſa indicat. Jam non autem verbis ac pollicitationibus ſed facto opus eſt. Promiſſionum ſatis a Legato Lutzovio, ſatis ab Aula Viennenſi ſuperq; tulimus. Quid ille nunc ad ſui Prædeceſſoris fidem ampliſſimâ poteſtate muniti, quid ad Regiæ cautionis autoritatem ſua promiſſione acceſſurum putat? Si potuerunt adverſarii fidem & ſuam & Mediatoris fallere, ac ſolennitate Conventionis publicæ nihil moveri, qarum profecto foret præſidii in unius Miniſtri pollicitatione. Equidem quæ mandata nuper acceperit Comes Aversbergius mihi compertum non eſt. Ea ſi coram inſpicere licuiſſet, minus fortaſſe hæreret animus meus, qui nunc præter incerta quædam & generalia, addo toties necquicquam venditata promiſſa, in quo acquieſcat non invenit. Obteſtor Veſtram Majeſtatem ut infirmitati meæ det veniam, ſi inter tot ambigua tot implicata

plicata Auſtriacorum conſilia toties deprehenſus, nunc iterum objectâ novâ & ſatis confuſâ ſpecie, nihil ipſe ſubito expediam. Nihil eſt manifeſtius quàm feciſſe eos infectum quicquid Lutzovio permiſerant, publiciſque literis declaraſſe Majeſtati Veſtræ Orbiq; univerſo nunquam futurum ut Tractatui de Præliminaribus pacis aſſentiantur. Quæ omnia cùm hodie contrariis promiſſis ſubruant, quomodo ſe a ſuſpicione tergiverſationis purgare poſſint non video. Apparet enim quàm lentis paſſibus in hoc negotio incedant, quantâ incertitudine modò referant pedem modò proferant, quàm denique, quod dici ſolet, nec navigare ipſos ventus ſuus, nec manere ſinat. Neſcio quàm ſim rerum intelligens: videor tamen animadvertiſſe totum hoc, quod novis nunc conſiliis moliuntur adverſarii non aliò pertinere, quàm ut publica judicia, quorum favorem amiſerunt, ſi recolligere non datur, at impediant ſaltem & interturbent. Sed excuſ-

 ſâ

ſâ totâ ſerie tractationis hujus, facilè pellucet artificium. Omnia quippe egerunt membratim & per particulas temporibus diverſis, ſæpe deſerentes quas ante probaverant rei gerendæ occaſiones, delati demum ad concluſionem, ſed cujus ſtatim pœnituit ipſos, ſed quam nullâ non arte diſſolvere conati ſunt, ita ut animus a quiete averſus diſtinctè proderetur. Octavus jam eſt menſis, quod conſummatus ſignatuſq; Hamburgi Tractatus Viennæ pertinaciter diſplicuit: ratihabitio ejus planè denegata eſt: grandi epiſtolâ Miniſtri illi profeſſi ſunt, nimium quantum exiſtimationi Domini ſui dignitatiq; Imperii in plurimis articulis præjudicari: perq; Legatum ſuum Comitem Aversbergium contenderunt Legatos fœderatorum Regum ad redordiendam novam tractationem eſſe pertrahendos. Sed tandem, poſtquam agnoverunt tam ſucceſſum conſulis ſuis, quàm juſtitiam defuiſſe, obruti pene ac oppreſſi liberrima indignatione adeoq; convitii

vitii

vitiis bonorum omnium, ut tantam invidiæ tempeſtatem aliqua ſaltem ex parte diſcutiant, poſt octo demum menſes aliam novarum fruſtrationum ſcenam inſtruunt. Nihil nunc eſt quod in Tractatu Præliminarium deſiderent: non jam amplius peccavit quidquam Lutzovius: omnia nunc recte, & pro ſublimitate Imperii Domusq; Auſtriacæ. Quâ in mutatione tam oppoſitâ utrum integro ſinceroque animo etiamnum verſentur, multas dubitandi cauſas habeo, atq; idipſum ut reor ſuſpicabitur Majeſtas Veſtra ſi & partes ſecum invicem & earum acta utrinq; comparet. Primùm ratificatio Regnorum ſubito & ſine effugiis, tum ſimul ac ſemel ſecuta eſt. Neq; enim cùm Galli ratum haberent quod geſtum erat, Suecorum conſenſus abfuit; neq; offerentibus ſe Suecis, latuerunt in inſidiis Galli ſpeculaturi opportunitates perturbandi omnia ubi lubitum foret. Econtra Imperiales diu prolixeq; refragati, nec niſi pudore publicarum querelarum,

larum, fortaſſe & Suecorum victoriis permoti, tendem ſe quidem omnia ea executuros ajunt quæ TranſactioneHamburgéſi continentur: Hiſpani verò adhuc abſconditi obmuteſcunt, alto ſupercilio omnes hactenus pro pace exhauſtos a Majeſtate Veſtra labores aliorumq; Mediatorum toties repetitas admonitiones ac ſummam ſollicitudinem deſpicere auſi, quæq; pro iis ſæpius ſpoponderunt, conjunctiſſimi Imperiales & fœderati chariſſimi ſpontaneâ oblivione inducere, aut, ſi mavis, etjam ignorare. Quid poteſt eſſe colluſione tam manifeſta liquidius? Omnino id agunt Auſtriaci ut negotii partem aliquam velut veſtis laciniam manibus prehenſam teneant, retracturi hoc pacto totam ubi id ipſis opportunum viſum fuerit. Quæ omnia cùm docuerit eventus, nobis Regnorum Legatis non ſuccenſebit Majeſtas Veſtra ſi territi veſtigiis prioribus veremur primùm, ne inter illa quæ nunc oſtentat Comes Auersbergius ratificatio Viennenſis
vel

vel deſit, vel imperfecta offeratur: deinde ſi & Hiſpanicam requirimus, promiſſionem pro re non accepturi. Nimirum, Sereniſſime Rex, nobis nec ac expreſſa formula ſolennis Pactionis diſcedere, nec a mandatis Regum noſtrorum licet, quibus diſertè jubemur dare operam ut quemadmodum ab ipſorum parte pridem factum eſt, nullis circumſcriptam dilationibus, promiſſis, exceptionibus, ſed plenam ac præſentem Imperialium Hiſpanorumq; ratihabitionem obtineamus. Quandocumq; autem Majeſtati Veſtræ contigerit eos hoc limite defigere (quæ res ſanè difficultatis pleniſſima ſponte errantes divagantesq; reducere in viam) nulla neq; per Gallos mora neq; per Suecos erit, quominus tradantur utrinq; cum ratificatione Salvi Conductus, & Congreſſui initium fiat. Interim cùm id ſibi perſuaderi nec dum paſſi ſint Auſtriaci, nihil ſupereſſe videtur quod diſceſſum meum producere debeat. Quoniam tamen Majeſtati Veſtræ placere



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0115-4

intelligo ut ſuſtineam me ad diē usq; 29. hujus menſis qui erit octavus Septembris anni Gregoriani, promptisſimè ut par eſt, licet jam in procinctu, obſequar: non quòd interea perfici quidquam poſſe exiſtimem cum adverſariis tam moroſis, ſed quia ſic voluit ſic juſſit M.V. Cæterùm maximas ipſi gratisſimasq; gratias habeo, quòd navem Prætoriam ſecuritati itineris mei benignè deſtinaverit. Quo nomine aliisque permultis quantum ſibi me devinxerit, coram ſi Deo ita viſum teſtabor. Noque enim inſalutata Majeſtate Veſtra diſcedam, a complexu Regiæ dexteræ tanquam captato inſtitutæ profectionis omine fælicisſimo, patriam meoſq; poſt tot annorum intervallum repetiturus. Datum Hamburgi $\frac{28}{18}$. Auguſti 1642.

SERENISS. MAJEST. VESTRÆ

*Obſervantisſimus Servitor*

*CLAUDIUS DE MESMES.*

*Reſpon-*

*Reſponſum Legati Suecici.*

SErenissime ac Potentissime Rex, e literis Regiæ Majt. V. datis Glucksburgi die 13. Auguſti, lætabundus percepi, Cæſareum Legatum Dn. Comitem ab Aversberg nuper Hafniam ea omnia quæ Cæſarea Majeſtas vigore ultimi Præliminarium Concluſi Hamburgenſis præſtare tenetur, tandem attuliſſe: exceptis tamen iis, quæ nomine Regis Hiſpaniarum promiſerat. Quia igitur inter Præparatoria pacis nihil M. V. amplius reſtare videtur, niſi ut Inſtrumenta, quæ jam utrinq; ad manus ſunt, reciprocè commutentur, & dies tractatui principali dicatur; Ideo M. V. commutationi Inſtrumentorum nominaſſe diem 29. hujus menſis; tractatus autem principalis terminum ad futuri menſis Decembris initium protendiſſe, ut interea ſpatium habeat Legatus

Cæſare-

Cæſareus, quod pollicetur, Hiſpanica quoq; Inſtrumenta adferendi: elementer requirendo, ut nomine Sereniſſimæ Reginæ meæ in utrumq; diem conſentiam. Pro obſequioſo reſponſo, inprimis nomine S. Regiæ M. Sueciæ maximas ago R. M. V. gratias, quòd tam indefeſſâ conſtantiâ tam tædioſi laboris negotium eousq; perducere voluerat. Spes jam per Dei gratiam affulget propinquior, ejusdem M. V. autoritate, etiam, quæ deſunt cætera brevi ſecutura; modò ſincerè ſerioq; res ab altera quoq; parte tractetur. Sed cùm ea, quæ, die 15. Decembris elapſi, ſub fide publica promiſerunt Cæſareani, ſe intra octo ſeptimanas integrè pleneq; præſtituros, jam primùm poſt octo demum menſes vix media ſui parte præſtentur; optant revera magis quam ſperant hominum judicia, candidiùs rem tantam ab iis agi. Et ut bonâ cum M. V. gratia dicam quod ipſe ſentio, ſi pari tergiverſatione morâve Reges fœderati conſenſum jam ſuum ex totidem menſium

rerumq;

rerumq; revolutione ſuſpenderent; nihilo proniores ad nutum hunc primum hoſtilis opportunitatis ſe declarantes quàm hoſtes ad publicæ fidei obſervantiam hactenus fuere; haud injuſtias, credo; jure talionis uterentur. Verumtamen ſicut Regia M. Sueciæ nunquam temporum inſidias captavit, ad pacem pacisq; tractatus conſtanter propenſa quocunq; rerum armorumq; ſuorum ſtatu: ita, etiamnum ſuæ Reg. M. nomine haud invitus conſentio in diem a R. M. V. dictum Inſtrumentorum omnium commutationi. Quinimò ſi certò nobis perſuadere poſſemus, ab altera tunc parte cuncta rite præſtitum iri præſtanda, vel ſaltem Dn. Comitem ab Auersberg intra paucas certoq; definitas numero hebdomadas ea quæ deſunt infallibiliter ſuppleturum, haud difficilius in alterum quoque, principalis nempe negotii diem ſtatim conſentiremus. Adeo enim nihil ad hoc ex hac parte deeſt, ut in ſingulas etiam horas ad utrumq; parati ſimus.

Sed

Sed quoniam adhuc valde incertum videtur, an tantillum Miniſtri promiſſum, rem tantam, tam brevi tempore, præſtare valeat; cùm ne Regia quidem ſponſio minorem, tot menſium ſpatio, hactenus, niſi magnâ cum difficultate, potuerat extorquere; Ideo zelum quidem M. V. in maturando tam pio opere gratè agnoſcimus & deprædicamus: heroicæ tamen ſuæ tot annorum regnandi uſu firmatæ prudentiæ reverenter ſubjicimus conſiderandum, ſitne vel e more gentium, vel tot, quorum intereſt, Statuum ſive dignitate ſive ſecuritate, adeoq; proprio M. V. reſpectu, ut major pars Regum & Rerumpublicarum Europæ ad certum diem locumq; aut ſponte confluat, aut, quod neceſſum eſt, debitè invitetur, nondum acceptis, quæ invitatorias & notificationem meritò comitari debent, tabulis publicæ ſecuritatis? Quod ſi rathabitiones & Inſtrumenta, quævi pactorum adhuc deſiderantur, pro hoſtium ingenio, vel omnino

omnino non compareant, vel nō juſto tempore, talive formâ ut ſuper iis honeſtè tutòq; tractari poſſit (nihil enim horum adhuc certum eſt) judicet M. V. æpuanimitas, annon honeſtius tunc foret, dictam diem tantiſper fuiſſe non-dictam; quàm tot Principes & Status defectibus tantis eludi? De voluntate Dn. Comitis ab Aversberg nolumus non honorifice ſentire. At tertii factum præſtare, & quidem extranei tantiq; Regis, idque tam firmiter certoque, ut ad nudum ſolummodo verbum, tot gentes undiq; convolare debeant! ſitne id in alicujus Legati poteſtate, prudentius metui quàm credi poſſe arbitramur. Quare, quò magis publicæ intereſt & fidei & ſecuritatis, & tot Regum Principumq; dignitatis, adeòq; totius Reipublicæ Chriſtianæ, ut rebus, non verbis amplius, nitatur tanti momenti negotium; eò impenſius M. V. rogamus, ne dedignetur etiamnum ſtrenuè urgere Cæſareanos, ut totum Tractatum Hamburgenſem tùm inte-

integrè ratihabeant tùm re-ipſâ plenariè exequantur. Ita fiet, ut non tam citò ii pactaimpleverint, quàm nos ad diem dictum planè prompti paratiq; futuri ſimus. Aliàs, evitari vix poſſe præſagio, quin fœderati denuò juſte querantur, vel hoſtes perfidè nobiſcum egiſſe, vel nos, ſine ratione ac fundamento rem præcipitaſſe. Atque his Regiam M. V. Divini Numinis protectioni, neq; Regio ſuo favori, obſequioſiſſimè commendo. Hamburgi die 18. Auguſti Anno 1642.

SAC. REG. M.tis V.ræ

*Humilimus & obſequentiſſimus Servitor*

*J. SALVIUS.*

## ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO CLAUDIO DE MESMES COMITI D'AVAUX COMMENDATORI REGII ORDINIS ET CHRISTIANISSIMI REGIS GALLIARUM LEGATO PER GERMANIAM EXTRAORDINARIO.

# CHRISTIANUS IV.

Dei Gratia Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum GothorumqueRex, Dux Schleſwici, Holſatiæ, Stormariæ ac Ditmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt.

SIngulari gratia noſtra præmiſſa, Illuſtris & Generoſe nobis ſincere Dilecte, Exhibitioni & Commutationi inſtrumentorum eorum, quæ in manibus veſtris & reliquorum utrinque Legatorum jam verſantur, terminum tam anguſtum ideo conſtituimus, ut tempus ſupereſſet vobis utrinque, ſi quos fortè in illis deprehendi defectus contingeret, eos vel corrigendi vel ſupplendi, dum quæ ex Hiſpania expectantur, & dies Tractatibus ipſis dictus adveniant: Cùm vos autem verbis

*Ejusdem fere tenoris literæ ab eodem Rege ad Suecicum Legatū Germanicâ linguâ ſcriptæ fuerunt.*



pactionis

pactionis cum Lutzovio initæ tam ſtrictè, prout literæ veſtræ nobis redditæ docent, inhæreatis, ut ab illa ne atum quidem unguem diſcere, neq; etiam ante admittere quicquam eorum velitis, quæ vi pactionis dictæ præſtari ex parte Imperatoris & Regis Hiſpaniarum debent, quàm illa omnia & ſingula ſimul & ſemel repræſentari poſſint; Et in eo mandatis Regis Veſtri poteſtatem veſtram conſtringi teſtemini: ſufficiet nobis ea quæ noſtri officii ſunt feciſſe, & quæ ex altera parte ad nos delata ſunt, mentemque deſuper noſtam vobis ſignificaſſe. Cùm igitur exhiberi ad 29. hujus menſis ea, quæ a Rege Hiſpaniarum deſiderantur, non poſſint, expedire nobis videtur, diem illum exhibitioni & commutationi inſtrumentorum dictum in primum Decembris produci, & tractatibus inchoandis deinceps, quando exhibitio & commutatio utrinque facta erit, alium conſtitui. Interea ſcire ex vobis cupimus, ſi ea quæ ex parte Imperatoris & Regis

Hiſpaniarum, vi dictæ pactionis, præſtanda ſunt, plene & nullis circumſcripta dilationibus, promiſſis, exceptionibus intra jam dictum terminum obtinueritis, ſitne & tunc futurum in veſtra poteſtate, quemadmodum nunc eſſe affirmatis, Congreſſui diem illico conſtituendi, & illo conſtituto quantum ad Galliam pertinet, initium faciendi, an verò aliquid ſuperſit aut intervenire queat, quod Tractatus morari poſſit, aut accedere illis, quæ jam præſtanda ſunt neceſſum ſit, antequam dicti Tractatus inchoentur. Ita gratiam vobis noſtram deferimꝰ. Dabantur ex arce noſtra Glucksburgi die 23 Aug. 2 Septembris 1642.

*CHRISTIANUS.*

*Reſponſum Legati Gallici.*

SEreniſſime ac Potentiſſime Rex, quòd tuemur publicam fidem Veſtræ Majeſtatis autoritate ſuffultam, ſperamus id

id ipſi non poſſe improbari, neq; nos religioſe nimis inhærere ſolennibus pactis. Verumtamen dum reverenter ad modum opperimur diem illum, quo tandem aliquando dignentur Auſtriaci tranſactioni de Præliminaribus gratioſè aſſentiri (videmus enim ad eorum nutum & tempora totum hoc Pacis negotium quaſi ad ſcopulum aliquem adhæreſcere) per nos nihil nec obſtitit, nec etiamnum obſtat, quin interim exhibeantur quæ hîc adſunt inſtrumenta ratificationis & Salvorum Conductuum, ſi quid in iis peccatum eſt, emendanda. Sed ut vel iniquâ permutatione nos omnia, (nihil enim per fœderatos deeſt) adverſarii partem duntaxat, & illam fortaſſe vitioſam extraderent; vel otioſâ diligentiâ utrique partem commutaremus, quæ & ipſam cauſæ continentiam diviſiſſe videretur, id vero illud eſt quod non admittendum exiſtimavimus. Imò equidem, Sereniſſime Rex, ab hujusmodi prævia communicatione, ubi fraus abeſſet, adeo

non

non alienus fui, ut potius, quod ea omiſſa fuerat, poſtremis ad Majeſtatem Veſtram literis oſtenderim mihi non liquere, nec de acceptis nuper a Comite Aversbergio mandatis promere poſſe quid ſentiam, antequam illa inſpiciendi cognoſcendiq; copia fieret. Quoties itaq; viſum fuerit Imperialibus deſcendere in hanc cum Majeſtate Veſtra ſententiam & proferre quæ jactitant, in nos illi nec imperatos nec idem ſecum mutuo facere difficiles unquam inciderint. Durum ſanè videri poſſit penes eos ſtare tanquam belli pacisque arbitros ut ſuo more modoque tranſigendi occaſiones nunc pervertant nunc revocent, & hoc rurſum ſerius ocius pro lubitu. Ita quippe fit Sereniſſime Rex, ut ipſi temporibus, omnes ipſis ſerviant. Quod tamen malum ut a capitibus Germanorum arceamus, bella ſunt. Sed quoniam in anguſto limite octo menſium æſtuant adhuc Auſtriaci, neque ſatis potuerunt,, tam iniquis ſcilicet ſpatiis coarctati, abſolutam ratihabitionem

nem Tractatus Hamburgenſis & Salvos Conductus huc transmittere, diemque inſtrumentorum omnium commutationi jam bis fruſtra definitum produci rurſus amant ad primum Decembris; Detur & hoc illorum moroſitati: probè intelligimus indulgenter tenereque habendos qui ad reddendam orbi quietem duriuſculi ſunt, quique ut ſuum illud faſtidium vincant, opus habent intervallis longioribus. Sin autem ne tunc quidem tergiverſando feſſi, aut denuo vadimonium deſerent, aut rebus neceſſariis parum inſtructi nobis ſe ſiſtent (verendum enim ne Calendis Decembribus poſtquam per menſes undecim parturierint naſcatur aliquid monſtri, & tam tardi fœtus multa ſint vitia) tum omnino eos ejuraſſe pacem nemo usquam erit qui inficias eat. Certè ſi, quod abominor, ita eveniet, haut dubitamus quin tot tantisq; cunctationibus tam manifeſtò fruſtratam Majeſtatis Veſtræ illuſtrem curam conſequatur demum indignatio juſtiſſima,

ſtiſſima, & quo id ipſi modo placuerit, tantus Rex palam faciat quàm iudigna ſuis moribus ſuâq; interpoſitione ſint perplexa ejusmodi & illiberalis artificii plena conſilia. Hæc a me eò ſcribuntur, ſereniſſime Domine, ut toties monitos ac tamdiu deliberantes adverſarios nihil tum demum, exacto fere anno, deficiat eorum ad quæ ipſi pactis conventis obligantur. Honeſtè, niſi fallor, nec impatienter id petimus. Quod ubi rite præſtitum erit & reb9 transactis fas jusque ſuum conſtabit, ſcio affirmoq; iterum Majeſtati Veſtræ ſicut in exequendo hactenus Tractatu Præliminari fœderata Regna & quidem tanto intervallo poſt ſe reliquerunt Imperiales & Hiſpanos, ita tunc quoque nihil prius futurum Chriſtianiſſimo Regi nihil propius quàm ut auſpicando Congreſſui dies altera conſtituatur, quando per illos prior fruſtra eſt conſtituta. Atq; interim me Regio Majeſtatis Veſtræ favori obſequioſè commendo. Dat, Hamburgi 30 Aug 9 Septemb. 1642.

SERENISS. MAJEST. VESTRÆ
*Obſervantiſſimus Servitor*
*CLAUDIUS DE MESMES.*

*Reſponſum Legati Suecici.*

SErenisſime ac Potentisſime Rex, quàm zeloſè R. M. V. prioribus literis negocium pacis maturare videbatur: tam gratè id a me tunc agnitum fuit ac deprædicatum. Etſi enim ex nuperis M. V. de 23. Auguſti videtur, reſponſum meum de 18. ejusdem priorem tantùm diem pro præparatoriis conſummandis ſimpliciter acceptaſſe, alterum verò deſideraſſe protenſum: tantum tamen abeſt, ut vel hunc vel illum productos cupiam, ut, ſi per adverſam partem licuiſſet, etiam breviores optaſſem. Neq; enim in menſes & dies modò, ſed in ſingulas etiam horas nos ad utrumq; paratos profitebar. Aliquot quidem conſiderationes adduxi, cur incerta deficientium Inſtrumentorum pro-

promiſſio ſuſpendere debere videbatur figendorum terminorum certitudinem, non tamen eo animo, ut primum Decemb. motum cuperem; ſed ut Regiæ M. V. prudentiæ ac ſollicitudini occaſionem præberem, ſi qui viderentur, certiores modos proponendi, quò hoſtium his artibus, remoris, & tergiverſationibus vel finis tandem vel modus ſaltem aliquis poneretur, tot Chriſtianorum ſuſpiriis attemperatus. Si Sueciæ ſolius res agerentur, potuiſſet pacis Germanicæ tractatio confeſtim inchoari, dum cæterorum defectus emendantur. Sed quoniam nec Galli vel Batavi, nec Domus Palatina vel Haſſiaca (pactis Hamburgenſibus omnes comprehenſi) ad diem locumque condictos tutò venire poſſunt, niſi etiam Hiſpanicâ ſecuritate muniti: dandum id fuit amicitiæ ac fœderi, ut Sereniſſima Regina mea pro iis loqueretur. Etiam propterea, ne admiſſâ ſemel publicorum pactorum mutilatione, anſa præberetur adverſariis inpoſterùm plura

majo-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0131-3

majoraque violandi. Nunc cùm e proximis M. V. literis, tàm ad R. M. Sueciæ, quàm ad me, appareat, Eamipſam, continuâ ac pertinaci adverſariorum cunctatione motam, commodius judicare, ut commutatio Inſtrumentorum fiat primo Decembris; eaq; ritè peractâ tum demùm dies principalis dicatur: etiam his M. V. placitis, pro majore hoſtiumcommoditate, ex abundanti deferimus. Certi autẽ ſumus, niſi tunc adverſarii, poſt undecim nempe menſium ſpacia, præſtiterint, quod ab initio duos intra menſes & ſe præſtituros receperunt, & præſtare potuerunt; nihil minùs quàm pacem ab iis ſeriò ſincereq; agitari. Quod ſi verò opinionem hanc noſtrã multorumque fefellerint, promiſſis pactisque ritè adimpletis: nihil ulla ex parte obſtare video, quominùs tunc dies certa tam congreſſui quàm actioni principali & præfigatur & ſervetur. Neq; enim ſpero M. V. prætextus videri quæ ſcripſeram cùm & ipſi M. V. & M. V. miniſtris,

jam

jam dudũ omnia Inſtrumenta noſtra, partim in ſuâ origine, partim authenticis apographis realiter monſtrata ſint. Nec alium ob finem vel ego hîc Hamburgi jam ultra ſexennium hæreo, vel in Pomerania jamdiu degit Senator Regni Sueciæ Dn. Baro Oxenſtierna, niſi ut toti mundo, etjam cum adverſæ partis confuſione, oſtendamus, falſò nobis moras pacis, ab alieniſſimis hactenus a pace adverſariis, imputari. Laudabile verò exemplum præbet R. M. V. cæteris Mediatoribus, ut, cum viderint M. V. tam fervidè Congreſſus urgere Sueco-Cæſareanos, haud ſegniùs ii quoq; cæteros promoveant. Deus auctor Pacis piis ejusmodi conſiliis & coatibus ex alto benedicat, ut optatum tandem ſortiantur eventum. Cujus divinæ tutelæ M. V. obſequioſiſſimè mommendo. Hamburgi die 30. Auguſti An. 1642.

SAC. REG. M.tis V.ræ

*Humillimus & obſequentiſſimus Servitor*

*J. SALVIUS.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0133-4

QK9V4451

ma
mi
qu
nu
on
co
D
di
pl
te
m
n
al
r
h
q
m
ſ
p
c
h
f
r

96

3
ULB Halle
004 826 051

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0135-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0136-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-29428-p0137-6